

1835.

M.G. 649

SPECIMEN  
ANATOMICO-PATHOLOGICUM  
INAUGURALE

DE

**OTORRHOEA.**

Digitized by Google

theek Universiteit van Amsterdam



01 3466 1263

Digitized by Google

11.9. 649

**SPECIMEN ANATOMICO - PATHOLOGICUM  
INAUGURALE**

DS

**OTORRHOEA.**

SPECIMEN ANATOMICO - PATHOLOGICUM  
INAUGURALE

DE

**OTORRHOEA,**

ATQUE DE VARIIS MODIS, QUIBUS PUS EF-  
FLUERE, ET QUORUM DELABI SOLEAT,

QUOD,

SUPREMO FAVENTE NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

**ADR. CATH. HOLTIUS,**

JUB. UTE. DOCT. ET PROF. ORD.

ET

ANPLISSEMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

AC

MOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ATQUE  
PRIVILEGIIS,

*In Academia Reno-Trajectina,*

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

GUILIELMUS AUGUSTUS FELIX QUARIN WILLEMIER,  
HARLEMENSIS,


*Chirurgus Militaris Secundi Ordinis.*

DIE XXIII JUNII, A. MDCCXXXV, HORA V.

---

**TRAJECTI AD RHENUM,**

TYPIS N. VAN DER MONDE,  
MDCCXXXV.



Digitized by Google

*For ton haec aliquis, (nam sunt queque) parva vocabit,  
Sed quae non prouent singula, multa juvant.*

*OVID. remed. Amor. vs. 419 et 420.*

**PARENTIBUS**

**PRAECEPTORIBUS**

**ATQUE**

**FAUTORIBUS**

*Sacrum.*

## PROÖMIUM.

---

*J*am ante aliquot annos Academico meo curriculo finem eram impositurus; omnes studiorum socii jam Academiae valedixerant, anno 1828 et 1829 doctoris honorem consecuti. Ego vero militaris Chirurgi munere fungens, aliossum interea vocatus sum. Dein orta repente in meridionali regni parte nefanda seditione, ut patriae defensoribus, artis salutaris ope indigenibus succurrerem, castra seculus, ab hoc meo proposito desistere, non sine summo dolore, me coactum videbam. Hinc nemo quisquam mirabitur, me primam, quas sese obtulit, statim adipuisse occasionem adipiscendi summos in Medicina honores ac privilegia. Ut igitur Academicis

*satisfacerem legibus, dissertatio erat conscribenda.*  
*Memor autem Venusini vatis ita praeципientis,*

- *Sumite materiem vestris, qui scribitis aequam*
- *Viribus, et versate diu, quid ferre recusent,*
- *Quid valeant humeri."*

HORAT. Epist. ad Pis. vs. 38.

diu incertus haessi, quam potissimum mihi tractandam scribendi materiam eligerem. Accidit interea, ut *Epidemia Cholerae Asiaticae*, ann. 1832 et 1833 grassaretur, quae cum aliis pa-  
trias urbibus, tum illi, in qua tum vereabar,  
maximum terrorem incutiebat. Cum vero eo tempore  
*Sylvaeducis*, in nosocomio hoc morbo aegrotantibus  
ibi consecrato, una cum doctissimo viro *van SANTEN*, cura hocco dirissimo morbo correptorum  
mihi demandaretur, et inde opportuna esse offerret  
hunc morbum observandi occasio; hujusce Epi-  
demiae historiam conscribendam putavi.

*Hujusce autem consilio mihi dissevisor fuit Vir Clarissimus Promotor *SCHROEDER VAN DER KOLK*,*  
*hanc, quae est ejus prudentia, rationem offe-*

*rens, quod tot tantaque de hac materia scripta  
existarent, et in tantopere exhausto arguento,  
nihil fero novi hac de re scribentibus tractandum  
superesset.*

*Quae cum mihi probarentur, et magis magisque  
incertus fierem, quid mihi tractandum sumorem,  
hunc meae dubitationi finem imposuit Promotor  
Clarissimus atque hujus speciosissimae scribendi fuit  
auctor, de otorrhoea, de variis modis, quibus in  
hocce morbo effluvium fieri, et de diversis locis, in  
quos demigrare atque varia ibi symptomata cre-  
are possit.*

*Verba mihi desunt, quibus tibi grati animi  
sensum declarare valeam, vir excellentissime,  
cum doctrinae praestantia, tam munerum splen-  
dere ornatissime, Clarissime BERNARDO, cui summa  
rei medicorum cura, quae ad rem militarem terrae  
marique pertinet, prudentissimo sapientissimi Re-  
gis consilio, commissa est. Licet mihi non sit  
incognitum, te, si cuiquam quidquam gratum et  
bene feceris, id obliuisci solere; at ego memini,  
et omni ope atque opera [in id incumbam, ne  
unquam in te ingratius a quoquam reperiar. Nam*

*quaecunque esse mihi obtulerint hoc in Academia bona, tuas benevolentias accepta refero, cum mihi praebeueris fruendi hisce bonis occasionem. Ceterum tibi persuadeas velim, Vir excellentissime, me pro ea, qua teculo observantia, omnem reliquam fortunae meae spem in te reponere. Tibi denique, quem virtutis doctrinaeque gratia veneror, omnia bona precor.*

*Tibi praesertim, Promotor omni honore co-lende, Vir Clarissima SCHAOEDER VAN DER KOLK, pro tuis erga me beneficiis, quid debeam, profiteri summa mihi voluptas erit. Quam ob rem sancte tibi polliceor, me omni studio semper id acturum, ne tuorum in me meritorum unquam quis oblitum me videat.*

*Vobis omnibus, qui mihi tam in propaedeuti-cis, quam in medicis lectionibus ad accuratas et veras doctrinas prudentiam aperiuitis viam, pro vestra praeclara docendi ratione atque singu-lari erga me benevolentia, maximas, quas habeo, ago gratias. Quantum artem medicam aliquam-diū inter milites, praefuscine dixerim, feliciter exercendo profecerim, id omne cum vestris utilis-*

*rimis praeceptis, tum tis, quae in nosocomio militari has in urbe ad medicos militares formandos instituto, mecum communicata sunt, me debere profiteor. Hisce igitur praeceptoribus, qui meis studiis non minus profuerunt, quantum debeam sentio et meritas nunc ago gratias. Vos etiam mihi compellandi estis, Viri Expertissimi, quibus in hoc eodem nosocomio militari, carissimis antea praeceptoribus, me nunc adjunctum summo honori duco, et eruditas consuetudini etiam aliquo etiam commendo.*

*Tibi Viro Clarissimo R. S. ALEXANDER, cuius curae regimen eodem in nosocomio mandatum est, hisce grates persolvere liceat pro tua singulari erga me benevolentia; nil vero gratius mihi accidere posset, nisi quod diu eadem frui continet; amicitiae itaque tuae eruditae, quam maxime me commendatum cupio.*

*Vobis vero cunctis, qui non tantum utilissimis praeceptis, verum etiam sapientissimo consilio me devinxistis, omnia, quae hominibus tribui possunt bona D. O. M. munifice largiatur, ut hisce fruamini multos per annos et vos et vestri, qui vobis sunt carissimi.*

*Vos quorum ab initio mentionem feci, mecum  
antea disciplinae societate conjunctos, nunc su-  
perstites ac bene valentes, (e quibus etiam nonnulli  
jam in locum communem obierunt), nunc varis  
muneribus conspicuas, oblitisci vetat ea, quas  
inter nos intercessit necessitudo. At quare illi  
mihi carissimi sint, quorum familiaritas reu-  
tate sit probata, novos tamen amicos mihi conoci-  
basse gaudeo. Vobis locorum intervallo, aut  
munerum diversitate quanquam a me distractis,  
tamen cum maxime me commendo, ut perpetua  
amicitia vestra diu mihi frui liceat.*

*Quod restat, te tandem benevole lector etiam et-  
que etiam rogo, ut ne in malam partem accipias,  
si quas fuerint in hisce meis scriptis, quae tibi  
minus placebunt, et benevolentia tua me prose-  
guaris, si id, quod secutus sum, aliquantulum  
simi assecutus, et aurium morborum, quorum  
ad hoc usque tempus natura et ratio pro rei gra-  
vitate forceitan non satis explorata fuit, cognitio-  
ni, quantum ejus fieri potuerit, quodammodo  
profuisse ab idoneis harum rerum arbitris videar.*

---

## INTRODUCTIO.

---

Quamvis jam ab antiquissimis at praecipue nostris temporibus, anatomiae pathologicae multum laboris impensum sit, nulla tamen illius disciplinae medicae pars, minus investigationibus explorata, et minus illustrata videtur, quam illa, quae ad morbos organi auditus spectat. Diagnosis horum morborum saepius in obscuro latet; a quibusdam auctoribus fere nisi verbo de iis agitur, imo inter neuralgias et quidem sine ulteriori cadaverum inspectione referuntur; otalgia nervosa, dysecoea, paracusis merito nisi morbi symptomata habenda videntur (1). Raro illae neuroses observantur, quin in cadavere, accurata inspectione instituta, vestigia manifesta reperiri contingat. Nulli interim morbi tam dolose procedunt, sub levissimis symptomatibus

---

(1) Conf. Cl. Rostan, cours de medic. clinique Ed. Brux. 1832. pag. 208.

incipientes, tam ineffabiles cruciatus ac tandem necem violentissimam praeparant. Difficultas indagandae laesionis pathologicae harum partium, in osse durissimo reconditarum, inter caussas profecto referri debet, neglectae hujusce investigationis; altera autem caussa petenda e frequentia horum morborum, omni periculo carentium, ac sola surditate manifestorum, ubi igitur rarer cadaverum inspiciendorum datur occasio. Tertia caussa in innumeris fere morbis, e quibus aurium morbi sympathice excitari possint, cum quibus complicari aut quorum origini ansam praebere valeant, sita videtur; in hisce casibus enim morbus primitive vel secundarie cum aurium morbo existens, solommodo dignoscitur symptomatibus suis pathognomonicis, praeterviso auris morbo, uti plura exempla apud auctores memorata demonstrant.

Illa vero aurium morborum pars, quae hocce libello continetur, in indagatione anatomico-pathologica Otorrhoeae versatur.

Ordo per tractationis sequens erit

Caput primum de otitide agit.

§ 1. De denominatione et divisione otitidis.

2. De otitide externa.

3. De otitide interna.

4. De caussis otitidis.

5. De decursu.

6. De exitu.

**Caput Secundum de otorrhoea.**

- § 7. De divisione otorrhoeae.
- 8. De otorrhoea idiopathica.
- 9. " " symptomatica.
- 10. De diversis viis, quibus effluvium ex aure exit.
- 11. De exitu per meatum auditorium externum.
- 12. De otorrhoea cerebrali per aperturam carie formatam effluente.
- 13. " " per foramen acusticum internum.
- 14. De morbis cerebri sympathice cum otorrhoea cohaerentibus.
- 15. De puris in tubum vertebralem effluvio.
- 16. De effluxu puris per tubam Eustachianam, atque per os et nares exitu.
- 17. De puris eadem via delapsu in tracheam.
- 18. De puris eadem via delapsu in ventriculum.
- 19. De carie processus mastoidei ac puris effluvii in diversas partes.
- 20. De perforatione aliarum ossis temporum partium, atque iude secutis puris effluviis.
- 21. De suppressione effluvii.

Caput tertium, symptomatum explicationem continet.

§ 22. De dolore.

- 23. De mutationibus in audiendi facultate oriundis.

- § 24. De auditus hallucinationibus
- 25. De effluvio ipso , atque de carie.
- 26. De otorrhoea cerebrali primitiva.
- 27. De otorrhoea cerebrali consecutiva.
- 28. De cariei extensione in tubum vertebralium.
- 29. De symptomatibus diversis , secundum diversas partes ossis petrosi carie affectas.
- 30. De effluxu puris per tubam Eustachii , per os , per nares , in tracheam.
- 31. De puris effluvio in ventriculum.
- 32. Symptomata generalia , complicationes.

## **CAPUT PRIMUM**

### **DE OTITIDE.**

---

§ 1. Inflammatio membranae mucosae aereum ob-  
vestientis, otitis a Vogilio aliisque auctoribus  
vocata, ab aliis otalgia inflammatoria, otalg. ca-  
tarrhalis dicitur. Valde diversa esse potest secun-  
dum auris partem, quam afficerit; inde recte  
dividi solet in otitidem externam et internam.  
Prior in concha, meatu auditorio externo atque  
membrana tympani sedem habet; secunda ado-  
ritur cavitatem tympani vel et labyrinthum.

§ 2. Otitis externa dignoscitur, ex molesto  
quodam sensu in aure, quasi corporis extranei  
in eam delapsi, qui cito in pruritum, dein in  
dolorem plus minusve vehementem abit; gravem  
plerumque aut hebetem auditum, susurrus vel  
tinnitus quidam comitatur. Si accurate conspi-  
citur membrana mucosa, magis minusve illa tu-

met ac rubet; effluvium limpidi ac rubelli, dein flavescentis, puriformis, foetidi humoris suboritur, qui valde copiosus saepe observatur. Membrana mucosa in proiectiore morbi statu, valde rubens, spongiosa et quasi fungosa apparet. Concha uti et auris vicinae partes saepissime tument et dolore afficiuntur.

§ 3. Namvis altera specie gravior, otitis interna gradu ipsa differre potest. Diversitates illae gravitatis symptomatum, a temperamento subjecti et ab acutie morbi determinantur. Casus otitidis internae dantur, in quibus mitissima symptomata, gravem et quasi occulte et dolose serpentem morbum, comitantur; ubi dirissimi cruciatus deinde secuti, lethalem praecedant exitum, qualis exitus etiam inopinatus accedere potest. Aliis in casibus dirissima symptomata a principio usque observantur; quae saepissime sequentia sunt. Tinnitus cum molestissimo tensionis sensu, obtusi quasi doloris subsultus sentiuntur, dein acutior pungit dolor, rubet facies, urget cephalalgia vehemens; fauces tument atque quasi exsiccate negro videntur, praepediuntur capitis ac cervicis motus, alimentorum et salivae deglutitio; dolor ex gulæ cavitate in aurem sese extendens, quasi diagnosticum symptomata inter otitidem internam et externam, a quibusdam habitum, in ultima specie saepe observatur (1).

(1) Cf. Casparv, die krankh. des ohres und des gehörs; in Rust Magaz. für die Gesammte Heilk. 10<sup>e</sup> Bd. p. 205.

Si meatus auditorius externus simul affectus sit, rubor et tumor membranae obvestientis ac effluvium observantur. Difficilis vel plane deletus est auditus. Vespere recrudescit febris, quae saepius vehementissime urit, pulsu pleno atque duro stipata, concomitantibus agrypnia, delirio, spasticis motibus atque insultibus epilepticis. Tandem puris plus minusve saniosi vel ichorosi, tenuis, foetidi observatur effusio, vel per tubam Eustachianam, vel per perforatam tympani membranam vel alio modo, uti in sequenti capite videndi occasio erit.

§ 4. Secundum fontem, e quo proveniat morbus, in idiopathicam et sympatheticam otitidem distingui potest. Ideopathicam producitur vicissitudine temperaturae, v. g. refrigerio subitaneo corporis aestuantis, ambulatione vel cursu flante ex adverso borea; intemperantia; solitae evacuacionis suppressione v. g. epistaxeos; extraneorum corpusculorum vel vermium aut insectorum introitu, vel evolutione in cavitate aurium; indurati ceruminis accumulatione vel extractione ipsius instrumentorum ope; irritantium quorumvis oleosorum vel alcoholicorum in auribus immisione; lapsu aut impacto vulnere, vi illata. Sympathica originem ducere potest, otitis ex colluvie gastrica, dentium irruptione vel carie, angina gutturali, affectione cerebri vel illius membranarum atque febribus, praecipue nervosis. Interdum variolis, morbillis, scarlatinac,

orisipelati faciei, parotidibus, tineae, herpetis speciebus, psorae, scrophulis, syphilitidi sese comitem vel pedissequam addit.

Hariess otitidem secundum causas divisit, in traumaticam, toxicam, zoicam, exanthematicam, catharralem, rheumaticam, syphiliticam, scrofulosam, etc. Sunt, qui otitidem secundum characterem dividant in activam et passivam.

§ 5. Ex decursu autem rectius quam ex ipsis morbi symptomatibus, otitis interna et externa distingui possunt. In otide externa post aliquot horas vel secunda die vel serius post morbi eruptionem, jam effluvium observatur ex aure, quod in interna otide semper serius accedit. Si ambae vero simul affuerint species, sponte patet, illud effluvium tunc etiam citius oriri, gravitas major symptomatum tunc istam complicationem facililime denotabit. In otide acuta citissime decurrit morbus; saepe intra tertium, septimum vel octavum diem mortem producit, si vehementissima fuerit. Diuturnus plerumque est decursus morbi, si non ante decimum quintum aut vigesimum quieverit diem; imo per multos annos perdurasse morbum, exempla probant. Si sanatio otitidis externae intra quindecim vel viginti dies sequatur, liquoris effluentis color ex albido flavidus, consistentia crassior evadit, ac tandem terminatur sub inaure ceruminis secretione et paullatim secuta restitutione audiendi facultatis.

*Acutus vel chronicus decursus ab aetate, temperamento, constitutione aegrotantis et a morbi gravitate pendere videtur. Secundum Hippocratis effatum, auris dolor pertinax cum febre acuta, juvenes et delirio correptos citius, seniores tardius et minus tollit (1). Celsus huicce sententiae favet, ubi dixit, "auris dolor acutus cum febre continua vehementique, saepe mente turbat et ex eo casu juniores interdum intra septimum diem moriuntur" (2). Continuus plerumque est otitidis acutae decursus, si vero in chronicum abeat statum, remissiones symptomatum notabiles, imo et intermissiones perfectae observantur. Sopitis vero symptomatis, sanitas per quoddam tempus saepissime vindetur perfecta, malum vero ultra procedit atque subjecti mortem saepe inopinatam producit.*

*§ 6. Oritis externa, uti jam vidimus, in sanationem abit, imminentis effluvio, labore et tumefactione, sic ut post vigesimum diem restituatur integra audiendi facultas; facile autem in chronicum statum vergit, in tympanum extenditur ac surditatem affert insanabilem; perforatur illa membrana, vel quamvis non perforetur, inflammatio sese communicat cum membrana cavitatem*

---

(1) Hipp. Coacae praepon. Venet. 1737. op. omn. vers. Cornarii p. 423.

(2) Celsus de re medica, libr. II. cap. VII.

tympani obvestiente, atque verae otorrhoeae ansam praebet.

Otitis interna in sanationem abire potest, resolutione, adhibita a principio activa medicatione, quod plerumque criticis sub phoenomenis, urina hypostatica, sudore, epistaxi vel alia haemorrhagia, etiam diarrhoea fit. Postea producti inflammationis v. g. puris vel muci quantitas, quando probe effluat, uti postea videbitus, inflammatione imminente, paullatim decrescit; aut (quod vero rarius accidit), resorbo hocce inflammationis produc-to. In aliud morbum saepe transit otitis interna, saepissime sequitur morbus, qui otorrhoeae nomen accepit et huicce opusculo materialm praebuit, uti in secundo capite videndi occasio erit: vel clauduntur aperturae naturales (stresia meatus auditorij externi, vel tubae Eustachianae), vel sympathice abcessus in una alterave parte, vel surditates immedicabiles et quae plura sunt, oriuntur. Mortem otitis producere potest, quando gravissime urget atque cum encephalo sese communicat, aut vehementem pro-ducit febrem. Chronicus factus morbus diu durare potest, tandem vero sese ad cerebrum extendit atque lethalem exitum afferre solet.

## CAPUT SECUNDUM.

### DE OTORRHOEA.

---

§ 7. Otorrhoea generatim vocatur effluvium ex auro, uti jam in praecedenti capite vidimus. Est sequela satis frequenter observata otitidis internae vel externae; Cl. Rostan nullum statuit discriminem inter otitudem internam chronicam atque otorrhoeam (1), tamen et sine tali manifesta inflammatione praegressa, ex affectionibus aliarum partium, observari videtur. Inde dividi potest in idiopathicam et sympatheticam, secundum effluvi speciem in catarrhalem et purulentam. In catarrhali sive mucosa specie, a membrana aurem obvestiente mucus secernitur copiosus, sitne otitidis ex caussa catarrhali exitus, an suppressae gonorrhoeae, leucorrhoeae vel ophthalmitidis se-

---

(1) Cours de Clinique Medicale, Ed. Brux. 1832. p. 266.

quela. Saepe vero in alteram transit speciem, quare simul cum illa pertractari posse existimatur.

§ 8. **Effluvium ex aure**, quod nomine otorrhoeae ideopathicae indicatur, nunquam sine carie unius alteriusve osseae partis organon auditus constituentis existere Cl. Itard statuit (1). Quamvis plerumque locum habeat, in levioribus otorrhoëis non dubium videtur, quin etiam sine carie existere possit. Cl. Beck (2) divisionem otorrhœæ decursus, in purulentam, fungosam vel polyposam, et cariosam periodum, a Saunders (3) propositam, minus accuratam credidit, quum otorrhœa sine carie, atque sine polyporum praesentia, extare possit, et quamvis saepe hisce complicata, non necessarie illud existimari debet. Illa autem transmissio ad ossa, in aure eo facilius locum habet, cum partes ossa obvientes, tam tenues sint, ossa vero ipsa ubique canaliculis perforata. Meatu auditorio externo magis affecto, cartilago facillime afficitur. Sedes cariei saepissime in cellulis processus mastoïdei deprehenditur, unde sese extendit in parietes cavitatis tympani atque labyrinthi. Cavitas tota

(1) Itard, *Traité des maladies de l'Oreille et de l'audition*, Paris 1821. Tom. I. pag. 211.

(2) Beck, *die Krankheiten des Gehörorgans*, Heidelberg und Leipzig. 1827. p. 158.

(3) J. Cunningham Saunders, *the Anatomy of the human ear, with a treatise on the diseases of this organ*, 2 Ed. Lond. 1817. p. 34.

quanta organi auditus in unam saepe caveam mutatur. Generatim symptomata diagnostica valde obscura esse solent, dolor enim non persistens, magis minusve intensus est; cerebro vel cerebello dein sympathice affecto, pleraque symptomata ex hacce affectione pendent; si nullus dolor nec encephali affectio adsint, effluvium materiae coloratae, brunneae vel nigricantis, proprio cariei foetore saepissime imbutae, sanguinolentae, nos tantummodo de sede morbi certiores reddere valet. Cariem adesse demonstrat pus, instrumenta argentea nigricante tingens colore, atque simul fragmenta ossea, imo ossicula auditoria, quae cum pure saepe foras prodeunt. Absentia aliorum symptomatum haud infrequenter observatur. Talem otorrhoeam sine aliis symptomatis, effluvio ex auro dextra excepto, per undecim annos existisse Voigtel commemorat (1). Causa dein vehementi commotus aeger, affectione cerebri correptus obiit.

§ 9. Symptomatica vocatur otorrhoea, talis effluvii species ex aure, quae fontem vel unice, vel pro parte extra auris cavitatem habet. Huicce speciei occasionem dare possunt, affectiones cariosae unius alteriusve cranii partis, abcessus

---

(1) Handbuch der Pathol. Anat. von K. G. Voigtel,  
ter Bd. p. 601.

in vicinia auris (1), parotitis critica (2), affectio cerebri, cerebelli vel membranarum; atque omnes illi morbi febiles, exanthemata etc. qui critica otorrhoeam producere possunt.

Sitne vero otorrhoea idiopathica an symptomatica, natura morbi inde nullo modo mutatur, effluvium puris enim adest ex aure, ulceratione membranae auris cavitatem obvestientis, cum vel sive ossium subsitorum carie, productum. In symptomatica vero otorrhoea, si simul symptoma morborum praecedentium perdurent, hisce complicata esse potest.

§ 10. Ex supradictis jam liquet, effluvium ex auro non semper eadem via foras extrudi. Pus in auris cavitate secretum, perforata membrana tympani effluit per meatum auditorium externum, cariosa si adsit ossis pars, exfoliari ac foras extrudi potest, si res regulariter procedit, cuius rei memorabile exemplum nobis offert observatio prima. Si pus per tubam Eustachii exeat, in ventriculum, tracheam et in gulæ cavitatem perduci potest. Carie perforatis parietibus osseis in crani cavitum, in collum, pectoris cavitatem, vertebrarum thecam abiisse saepius observatum fuit, per foramen acousticum

(1) Boyer, Traité des maladies chirurgicales et des opérations qui leurs conviennent, Ed. Brux. 1828. Tom. 3. p. 281.

(2) Itard, o. c. Tom. I. pag. 212 et 240.

Journ. de medic. par A. Roux, Paris 1769. Tom. 10. p. 455. Obs. 2.

internum in crani<sup>i</sup> cavum pus pervenisse , ex exemplo dein afferendo patebit. De hisce diversis viis, per quas pus ex auris cavitate foras pro- dire visum est , specialim agemus variarum rationum allatis exemplis.

§ 14. Pus per meatum auditorium externum effluit , sitne otorrhoea otitidis externae an internae sequela. Illa via satis frequenter puri patet. Estque naturalis in otorrhoea, quae externam otitudem sequitur ; non sine perforatione naturali vel artificiali membranae tympani, locum habere potest , quando pus effluens otitidis internae productum est. Illa tympani membranae perforatio , majorem vel minorem aperturam sistit ulcere formatam , vel disrupta membrana ipsa , cuius dilaceratae membranae, carunculae dein solummodo vestigia monstrant, uti observabatur in historia morbi secunda. In otorrhoea idiospathica magis fausta illa effluendi ratio censenda , quam in otorrhoea symptomatica. Occlusa tuba Eustachiana illa disruptio membranae tympani, quasi naturae propriam salutem propugnantis molimen , haberri potest, quod ars imitans perforationem artificiali hujusc<sup>e</sup> membranae in usum vocavit. Indicationes hujusve operationis atque descriptionem illius minus hujusc<sup>e</sup> loci videntur.

*Casus morbi primus.*

Puella trium mensium circiter , quae ante sex

fere hebdomades plenitide laboraverat, feliciter curata, per illud tempus optime sese habuerat; mense Aprilis 1830 purulento ex aure sinistra effluxu corripitur, quo vero sanitas nullomodo turbabatur. Parentes, post tres vel quatuor hebdomades tumefacta ac rubente facie ejusdem lateris, artis auxilium imploraverunt. Medicus accersitus, explorata aure affecta, invenit copiosum puris effluxum partes vicinas excoriantem locum habere, tumor autem faciei talis erat, ut palpebrae durante somno vix claudi possent. Quibusdam propinatis medicamentis, quamvis ceterum bene valebat infans, appetitu optimo, somno tranquillo gaudebat, pedibus bene instare atque progreedi valebat, nullae mutationes observabantur. Effluvium copiosius factum est, latus sinistrum paralysi correptum, ossicula auditoria extrudebantur per meatum auditorium externum. In hacce conditione infans ruri degens per tres menses non amplius observari potuit, morbus uti aliunde innotuit, in eodem mansit statu. Reduce vero puella, observabatur affectio gastrica cum febre, effluvium valde foetidum ex aure; inspecto meatu auditorio, repletus videbatur tumore fungoso quodam, concha tumida ac paullulum rubra erat, infans, conchā digitis tactā dolorem monstrabat ingentem. Attactu sulfatis cupri imminuebatur fungosa illa excrescentia, sed cito in pristinum restituebatur volumen: sub hisce caustici adhäsionibus, ossea quaedam pars ex fundo prodiens

detegebatur, quae tandem ipsius naturae viribus protrusa est. Illa ossea parte remota, in fundo cavitatis auris, magna oculis sese offerebat cavitas, pure boni indolis obtecta. Effluvium post hoc in dies imminutum, tandem desit. Auris externa, formam ac magnitudinem pristinam recuperavit et puella tam feliciter curata fuit, ut ne suspicio quidem cuiquam incidisset, tam gravem morbum unquam exstitisse. Quod ad partem osseam extrusam attinet, accurate inspecta, totam quantum petrosam ossis temporum partem esse patuit (1).

Effluvii puris autem simplicis ex meatu auditorio externo, innumera apud auctores exempla occurunt, ita ut nimis extensionis vitandae gratia, hic plura addere non necessarium duxerim.

§ 12. Effusio puris ex auris cavitate, in crani<sup>i</sup> cavum et morbi encephali inde secuti, difficilimum fere anatomiae pathologicae momentum haberi possunt; discrepant enim variorum, qui de encephali morbis scripserunt, opiniones. Sunt qui existiment, morbos auriculares originem petuisse ex pure, e cerebro in aurem fluente. Alii contraria defendunt sententiam, ambae opiniones

(1) Froriep's Notizen No. 780, mens. martis 1833, p. 158. et Tod. the Anatomy and Physiology of the organ of hearing.

aliquid veri continere videntur. Insuper sympathice morbi cerebri et cerebelli ori possunt in morbis aurium, quod et metastasi explicari potest, vel vice versa, ex cerebro in aurem transire possunt.

Illi diversi casus, otorrhoeam constituunt a Cl. Itard cerebralem nuncupatam, quam ut ex supra dictis liquet, in primitivam et consequentiam divisit.

Argumenta ab auctoribus allata, illorum opinionem probantia explanare, minus hujus loci visum est, in tertio enim capite amplius de hisce sermo erit. Inter innumeram exempla, apud diversos autores, de morbis cerebri agentes, reperiunda, Morgagni, Lallemand, Itard, Abercrombie, Voigtel, Otto (1) nominasse sat erit.

Casum morbi, cuius nuper in nosocomio mi-

(1) J. B. Morgagni, *de Sedibus atque caussis morborum per anatomem indagatis*, Tom. I. Ep. XIV. Ed. Lips. 1827. p. 331. seqq.

*Recherches Anat. Pathol sur l'encephale et ses dependances* par E. Lallemand, Paris 1824—30. Lettre IV. pag. 80—230.

*Pathologische und Praktische Untersuchungen von J. Abercrombie*, aus dem Engl. Biem. 1829. 1er Th. pag. 41—54.

Itard, *Traité des maladies de l'oreille et de l'audition*, Paris 1821. Tom. 1er. pag. 229—286.

Voigtel, *Handbuch der Pathol. Anat.*, Halle 1804. 1er Band. pag. 601 seqq.

A. W. Otto, *Lehrbuch der Pathol. Anat.*, Berlin 1830. 1er Th. pag. 495.

litari in hacce urbe mihi observandi occasio fuit,  
breviter enarrare, quum ad nostram pertineat  
materiam haud incongruum duxi; singulari benevo-  
lentiae Expertissimi Chirurgi Primarii Kerst, com-  
municationem (1) debo hujusce observationis.

*Casus morbi secundus.*

J. R. v. M. miles pedestris, 29 annos natus Groninganus, homo bene evolutus, temperamenti lymphatico-sanguinei, optima sanitate gavisus erat, ad annum usque decimum tertium vel quartum, quo tempore iteratis biliosis affectionibus afficiebatur; prospera dein fuit valetudo ad mensem Martii 1833. Pater phthisi defunctus erat, alii cognati bene sese habere ex eo comperiebatur. Tempore supradicto per noctem, refrigerio praegresso expositus, subito tinnitus in aure dextra notabilem animadvertisit, per mensem negotia perficere tamen non desuit, effluvium ex aure materiae tenuis ac viscidæ, aegro valde molestum, sese huic tinnitus adjecit. Mense Januarii anni sequentis doloribus cruciatus aeger, in nosocomium receptus, brevi post curatus ex eo dimittebatur. Optima gaudebat sanitate ad men-

---

(1) Amplior enarratio hujusce memorabilis observationis legi poterit, in opere, Heelkundige Mengelingen door J. F. Kerst, quod typis jam mandatum, propediem in lumen prodibit.

sem usque Junii, quo iterum, pristino morbo correptus, accedente surditate auris dextræ, auxilium medici quaesivit. Post septem hebdomades penitus sanatus, remanente aliqua surditate ad negotia militaria rediit. Illaesa sanitatem ad mensem Octobrem medium munera officiis fungi potuit, quando rebelli morbo affectus tertio, iisdem symptomatibus stipato, in nosocomium recipiebatur. Morbo pristino accedebant dolor ac tumor conchæ ac partium vicinarum, quae inflammatio cito ulcus planum efformavit praesertim in helice, imminutis doloribus.

Die 27° Novembr. in nosocomium in hacce urbe ex nosocomio Sylvaeducensi receptus fuit. Superficies conchæ interna auris dextræ ulcus inaequale planum offert, coloris flavescentis, marginibus rubellis instructum; pus ex flavo viridescens, foetidum, sanguine mixtum effluit. Meatus auditorius externus, qui ex tumore difficulter observari potest, excoriatus ac suppurans videtur, vicinae auri partes rubrae et tumidae. Abcessus pone aurem parvus exstat, quo explorato, nulla denudationis ossis signa, nec fistulae tentaculo observantur; pus tenui viscidum, flavescens ex eo profluit. Auditus in latere affecto fere deletus, in sinistro autem imminutus erat. De dolore in aure interna et in capite queritur aeger, praecipue supra aurem affectam. Tinnitus, ac susurru continuo quasi rotæ semper agitatae defatigatur. Functiones organicae atque

animales caeterum regulariter perficiuntur. Eadem conditio, sub remissionibus ac exacerbationibus alternantibus doloris capitis, soporis majoris minorisve dein accedentis, per aliquot dies observatur.

Die 1°. Decembris, ex aure sinistra puris effluvium observatur. Sequenti die dolores vehementes capitis ut et auris aegrum cruciabant, praecipue in occidente. Hi dolores sese diebus subsequentibus in toto capite manifestabant, atque aegrypniam molestissimam producebant. Die 11°. facies in latere sinistro ad arcum zygomaticum paullulum rubet et tumet, auris sinistre concha tactu valde sensilis observatur. Pus ex ambabus auribus effluens melioris videtur notae. Die 12°. vehementissimis doloribus defatigatus atque tristis sedet aeger in lecto, corpore inclinato, capite genibus suffulto. Dolor atrocissimus pungens per totum caput, tali modo aegrum afficit, ut vix interrogationibus responderet queat. Respiratio suspiriosa, anxia; pulsus tardus, fere insensibilis tangitur. Tumor ac rubor faciei sinistre partis, in eodem statu observatur.

Noctem insequentem valde agitatus pervigilavit aeger, intolerabilibus doloribus discruciatus. Automatice manus versus caput movet, oculi semi-clausi observantur. Pulsus debilissimus, tardus sed tremulus, respiratio gemibunda, suspiriosa. Difficulter respondet quaestionibus. Post aliquot tempus magis quietus visus est; oppressus levi sopore

jecit ad horam secundam, ac sine manifestis mutationibus placide diem obiit supremum.

*Cadaveris sectio.*

**24 Horas post obitum instituebatur.**

Cranio aperto nec externa superficies cerebri, nec membranae illius, aliquid morbosii monstrabant. Sinus laterales seri magna copia repleti inveniebantur. In vicinia pontis Varolii materies tenuis, grisea, granulata, odore sui generis praedita reperiebatur. Canaliculum ibi deteximus in cerebellum ducentem: aperto cerebello totum lobulum dextrum ad tres vel quatuor lineas a superficie, mutatum reperiebamus in massam mollem, semifluidam, ex atro-viridescentem: in medio massae ipsius cavitas aderat, quae nucem avellanam continere posset; pro parte repleta materia, illi prope pontem Varolii repertae, prorsus simili. Juxta medium posteriorem superficiem partis petrosae ossis temporum, substantiae cerebelli mutatio, ad externam superficiem usque extensa erat, imo apertura quasi fissa aderat. Arboris vitae vestigia adhuc distingui potuerunt in massa supra descripta. Pars cerebelli adhucdum sana, in ambitu partis morbose affectae, vasculis praedita erat sanguine turgidis, colore rubrum ipsi cerebelli massae communicantibus. Cystidem vero propriam pus includentem non observari contigit. In cerebelli

sinistro lobulo, itidem reperimus substantiae mutationem, cum illa, quae altero in latere observabatur, communicantem, ad superficiem usque non sese tamen extendentem; minus etiam jam proiecta alteratio ista, colorem ex albo - griseum et majorem consistentiam habebat. Dura meninx, ubi posteriorem ossis petrosi superficiem obvestit, ad oboli magnitudinem ulcerata et fissurā etiam perforata observabatur, in loco cum fissa apertura cerebelli convenientē; nusquam vero ab osse distabat. Eodem in loco, pia mater et tunica arachnoïdea penitus corrosae et distructae erant. Os petrosum nullomodo colore mutatum erat, in media superficie posteriori in longitudinem protracta (longitudinalis) fissura, quatuor linearum longa, et lineae dimidia lata observabatur, quae cum fissa perforatione durae matris ac cerebelli conveniebat. Margines nullomodo scabri nec periosteum orbati videbantur, apertura communicationem habebat cum cavitate in processu mastoideo praesente. In anteriore superficie itidem irregularis aderat longitudinalis apertura, quae communicabat cum meatus auditorio externo. Dura mater in hocco loco perfecte sana reperiebatur. Pus neutiquam nec purulenta quaedam materia supra os, nec inter membranas reperiebatur. Nervi, qui e cranio prodeunt, aequae ac illi, qui auditus organos intrant, nullam subierant mutationem. Margo exterior et paries externus meatus auditiorum externi,

carie fere destructi observabantur. Partes molles incrassatae, emollitae et materie puriformi obductae; membrana tympani distracta, ita, ut nil nisi carunculae carneae, locum pristinum denotarent. Partes molles auris internae plane exulceratae, ossa auditoria disparuerant. Processu mastoideo serrae ope aperto, unicum tantummodo monstrabat cellulam, repletam massa 52 granorum ceruminis indurati. Cavitas gulæ, fauces, tuba Eustachiana nullam rubedinem offerebant, nec imperforatae tubae reperiebantur. Narium cavitatis dextrae membrana mucosa valde rubra ac tumens. Nil a sanitatis norma recedens in cadavere caeterum reperiebatur. Testiculos exiguos et valde molles repertos fuisse, num forsan e cerebelli affectione explicari possit?

Observatio, casum memorabilem referens, quem Cl. Promotor mecum comunicare voluit, hic profecto locum sibi vindicare videtur.

*Casus morbi tertius.*

Puer 9 annorum jam per tres annos otide graviore laboraverat, quae gravissima affectio invitis doloribus repetitis, saevissimisque neglecta videbatur; quando in nosocomium suburbanum Amstelodamense recipiebatur. Sequentia notaverat Cl. Schroeder van der Kolk, ulcus aderat pone aurem sinistram, in meatu autem auditorio ipso insignem deprehendit ulcerationem, cum copioso paria ichorosi effluxu et qui-

dem talem, ut de ipsa ossium carie vix dubium esse posset; imo ipse auditus in hoc latore penitus deletus videbatur; dolores autem erant modici; facies quodammodo oedematosa; os paullulum dextrorum vergebat, paralysi uti videbatur incipiente genae sinistram oborta. Aliquando cephalaea et dolor auris sinistram graviorum cum febricula aderant, caeterum sanus in nosocomio obambulabat, neque ulla mentis aderat alienatio; ulcus in aure sinistra lente proserpebat, post duos autem menses sine ulla causa cognita febris oriebatur gravior, dolores in ulcere insigniter in crescabant, quando incepit post aliquot dies coma oriebatur, e quo tamen evigilari poterat; simul de tempore in tempus, ex aure haemorrhagia satis insignis et pertinax accedebat, sine ullo tamen symptomatum levamine; pedibus fastare amplius non potuit, semper in uno latere immobilis fere decumbens, gravi sopore complexus; manifesta simul signa emolitionis cerebri prodibant, pedes enim adeo contrahebantur, ut omnes flexores summopere essent tensi, quod emolitionis symptoma saepius observasse Cl. Promotor mihi narravit. Paralysis genae sinistram adeo increverat, ut os insigniter dextrorum traheretur, nec derivantia, neque fomenta frigida, aliquid hoc in casu praestare poterant; birudinum applicationem, sanguinis ex auro stillicidium continuum, aegrum insigniter debilitans prohibere videbatur.

Postquam ita per quatuor dies gravi sopore de-  
pressus decubuerat, placide exiit.

*Cadaveris sectio.*

In abdomine sana apparuere omnia. Pulmo-  
nes costis tenaciter accreti, caeterum sani. In  
aure totus meatus auditorius ulceratione consum-  
itus erat, imo ipsum os petrosum necrosi ita  
affectum, ut libere moveri posset, parte tantum  
postica interna, versus partem basilarem adhuc  
integra. Os temporum tanta carie exesum erat,  
ut meatus auditorius externus prorsus evanisset,  
interno pro parte destructo. Nervi auditorii  
quaedam tantummodo filamenta superesse vide-  
bantur; nervi facialis truncus induratus erat,  
cartilaginis instar, atque prope exitum e canali  
Fallopiano sine erosio terminabatur, cartilaginea  
substantia telae cellulose induratione formata,  
cinctus, ita ut omnis communicatio cum faciei  
ramis delecta esset, unde paralysis faciei facile  
explicanda videtur. In cerebro arachnitidis ves-  
tigia manifesta, cum exsudatione usque ad haemisphaeriorum superficiem sese extendens; lobus  
vero sinister inferior, durae menigi fibrillarum  
ope accretus, cavum continebat pure ichoroso  
impletum, cujus margines fusi gangraenosi vi-  
debantur, fere duorum pollicum diametri; imo  
totus hicce lobus insignem affectionem praegres-  
sam, colore ex griseo cæruleamente monstrabat,

qui color eadem ratione per durae meningis partem affinem dispersus erat; caeterum arachnoidea ad cerebri crura, pontem Varolii, ipsamque medullam oblongatam, insigniter erat incrassata, flava et fere subpurulento sero tumens.

Antecedentibus liceat adhuc subjungere casum, cuius communicationem itidem Cl. Promotori debedo.

*Casus morbi quartus.*

Vir scilicet quadraginta et quod excurrit annorum procerae statura, paulo tamen emaciatus, de immanibus capitis doloribus per biennium conquestus fuerat, imprimis in latere dextro. Otorrhoeam jam ab initio in eodem latere insignem adfuisse, quae postea in altera aure, minori licet gradu sequebatur, narravit; eo cum effectu, ut perfecte surdus ne gravissimum quidem sonum perciperet. Doloribus auctis, auxilium Cl. Hendriks Professoris tunc temporis Groningani, imprecatus est. Hic Cl. Vir, cum ex aegro certior factus esset, dolorem primo supra aurem dextram ortam fuisse, fontem mali ibi situm esse suspicans, trepanationem loco indicato instituit, quae satis feliciter peragebatur, eo cum effectu, ut otorrhoea post aliquot dies insigniter imminueretur, inflammatio ne probabiliter gravi hoc stimulo derivata; imo graviorem sonum, subinde se percipere posse

putabat aeger. Postquam vulnus autem carunculis ortis ad sanationem vergere incepisset, eodem gradu otorrhoea rediit, eo quidem effectu ut vulnera clauso alia accesserint symptomata, non tantum cephalaea oriebatur gravis; sed de deglutitione difficulti conqueri coepit aeger; post unum alterumve diem drepente obiit.

*Cadaveris sectio.*

Sectione instituta, patuit gravem affuisse cariem ossis petrosi, ipsumque pus in cranii basin effusum, imprimis medullam compressisse, unde deglutitionis difficultas et mors subitanea explicandae. In osse petroso insignis aderat consumptio, quin etiam plurimae processus mastoïdei cellulae evanuerant: caeterum locus, ubi trepanatio instituta fuerat, nulla praegressae affectionis morbosae gravissimae vestigia monstrabat.

§ 13. Per foramen acusticum internum pus ex cranii covitate in auris cavitatem delabi, vel contra in cranii cavitatem fluere posse constat. Exemplum a Cl. Itard commemoratum etiam a Cl. Lallemand assumptum invenimus sequens (1).

---

(1) Itard, in o. c. Tom. I. p. 254. Obs. 22.

Lallemand, o. c. p. 140. N<sup>o</sup>. 3x.

Ancien Journal de Medecine, Vol. 26.

*Casus morbi quintus.*

Ex odontalgia, atque dein insecuta evulsione dentis, febris cum delirio in quodam aegro Guillen Rosé 22 annos nato, observabatur; post quatuor dies puris effluvium ex auris dextrae meatu externo, per aliquot tempus perdu-rans, locum habuit, ita ut a die 28º Septembris, quo die dentis evulsio peracta erat, ad 4ºm diem Novembris, quo obiit aeger, morbus ab-solutus fuerit.

*Cadaveris sectio.*

Aperto cranio, dura mater tunicae arachnoïdeae valde adhaerens videbatur, punctulis albicantibus quasi milii seminibus copiosis, praecipue versus sinum longitudinalem superiorem sitis, conjuncta. Cerebrum in superficie convexa magna tuberculo-rum minimorum copia obsitum reperiebatur, qui materie purulenta repleti erant. Substantia ce-rebralis laminatim incisa, ejusdem materiae striae monstrabant. Plexus chorioïdei vesiculis pure repletis ubique obsiti erant. Cerebellum eadem materia tegebatur. Nervorum par septimum et octavum, suppuratione affecta et jam fere destructa deprehendebantur; pus in auris meatu interno aderat. Canales semicirculares superior ac horisontalis, uti et inferior pars cochleae pure repleti erant. Membrana fenestrae ovalis

destructa, membrana tympani itidem perforata, puri via patebat, inter cranii cavitatem et meatum auditorium extnum.

Non vero facile pronunciarem, num pus ex auro in cranii cavitatem, an ex crani cavitate in aurem fluxerit.

§ 14. Praeter exempla cerebralium morborum, osse petroso pure exeso ortorum, invenimus permultos casus, ubi illi morbi sine directa communicatione inter abcessum in cerebro vel cerebello existentem et auris partem affectam, extiterint. Invenimus etiam observationes, e quibus patet, talem abcessum produxisse otorrhoeam. Tales encephali morbos, quamvis effluvio ipso non productos, qui cum otorrhoea quemdam nexus manifestum habent, huc referendos censui. Multae observationes in scriptis supramemoratis legi possunt, huc pertinentes. Memorabilem vero casum, ab aestumatissimo Promotore, Viro Cl. Schroeder van der Kolk a. 1826, cum publico communicatum (1), ubi ex otorrhoea mania secuta erat, breviter commemorare liceat.

*Casus morbi sextus.*

Puella annum agens vigesimum primum, con-

---

(1) Geneesk. bijdragen van C. Pruijs van der Hooven, J. Logger, C.G.C. Reinwardt en G. Salomon, Delft 1826 2de stuk.

stitutionis valde irritabilis ac sensilis, antea bene valebat, menstruatio regulariter procedebat. Ex mala aures ope acuum depurandi consuetudine, stimulando meatum auditorium externum, sibi contraxit otitidem externam dextram.

Malum vero dein auctum legimus ex incongrua agendi ratione, otorrhoea cum cephalaea dextra ac vertiginibus insequebantur. Post tres hebdomades effluxum imminutum sub levamine doloris observabatur, quodammodo moerore ac anxietate remanentibus. Horrido somnio perterrita, idaeam fixam e somnio productam, se cognatos trucidasse suscepit, imo magis magisque sibi persuasit, crimina revera ab ipsa patrata esse, ita ut in perfectam maniam ceciderit. Cl. Schroeder van der Kolk maniacam die 27 Aprilis primum vidit. Emaciatam, nullis interrogationibus respondentem invenit; oculi aperti sed nubeculosi erant, signa cephalalgiae aderant, abdomen nec durum nec tumidum reperiebatur, alvus obstricta. Irae accessus saepius redibant, nec attactum repellere, nec manum arreptam retrahere conabatur. Menstruarum suppressio itidem aderat. Sub adhibitione tartari emetici cibis intermixti, stillicidiorum frigidorum in caput tonsum, dein sub administratione olei crotonis tiglii, paullatim magis quieta evasit; tacitura dum animi pathemata averterentur, interdum verba quaedam in cohaerentia proferebat. Color faciei magis naturalis, oculi vividiores,

cutis ariditas et scabrities minores evadabant, imo ipsius cutis desquamatio in manibus sequebatur. Alvum copiosam duriorem deponebat. Post aliquot tempus Cl. Schroeder o crimen phantasticum narravit. Sanitas dum rediit, internulla lucida frequentiora ac magis constantia esse coeperunt. Hydropis signa dein sese monstrantia feliciter curabantur. In nosocomium recepta, ab omnibus corporeis malis cito liberata, prudenti ac gradatim concessa communicatione cum cognatis a falsis idaeis itidem curata fuit, sic ut medio mense Junio, prorsus sanata, in paternam redire possit domum.

Versus illud tempus otorrhoea iterum observabatur, cum quodam auris dolore, quae instillato lacte tepido pedetentim evanuit. Ita a malo gravissimo curata, optima sanitate frui ac perfecte domesticis negotiis fungi licuit.

Exemplum quodammmodo cum supra allato conveniens a Leschevin (1) relatum, exhibet otorrhoeae casum e caussa luëtica, cum carie cavitatis tympani ac labyrinthi, cui accessit mania vehementissima; mors insequebatur. Hujus loci casus ab Abercrombie (2) relatus videtur, ubi abcessus circumscriptus in latere dextro in-

---

(1) Prix de l'Academie royale de Chirurgie, Tome IV, p. 110.

(2) Abercrombie, The Edinb. Med. and Surg. Journ. July 1818. Obs. 8.

Lallemand o. e. Lettre IV. p. 84.

veniebatur, dum pus morbi auris productum e latere fluebat sinistro.

*Casus morbi septimus.*

C . . . octodecim annos natus, per multos annos jam otorrhoea cum surditate laboraverat, anno 1810 abcessus pone aurem sinistram oritur, tentaculo transitum praebens in cellulas processus mastoïdei. Postquam per aliquod tempus pus effluxisset, abcessus sese occlusit, cicatrice profunda superstitti. Aeger posthinc cephalalgia afficiebatur, quae anno 1813 valde aucta ei molestiam urgentem injiciebat. Die 14 Maji pungentes capitum dolores cum anxietate, vomitus copioso ac somnolentia observabantur. Sanguinis missiones generales ac topicae, medicamenta purgantia, vesicantia et mercurialia, curationis praecipua fuere adminicula. Diebus 15 et 16 imminuta videbatur cephalalgia, vomitus cesserat, magis oppressus autem erat aeger. Insequebantur dein stupor, loquacitas sine idaeorum confusione, pulsus irregularitas; mors subita aegrum e medio sustulit. Nullae convulsionis nec paralyseos signa observata fuerunt.

*Sectio cadaveris.*

In haemisphaerio dextro substantiae cerebralis insignis pars in pus foetidum abierat, in centro

fluidae, ad circumferentiam magis pultaceas consistentiae. In medio hujus massae, grumae sanguinis inveniebantur. Cerebri ventriculi sero sanguinolento impleti deprehendebantur.

De effectu sympathiae inter cerebri morbos et otorrhoeam agere minus hujus loci visum est, de iis enim in tertio capite ulterior dicendi occasio erit.

§ 15. Ad otorrhoeam cerebralem etiam referendi videntur illi casus, ubi pus in cavitate cerebri vel sympathice ex otorrhoea, vel idiopathice jam antea productum, vel ex anis cavitate in illam delatum, in vertébralem defluerit tubum, ibique cariem vertebrarum produixerit. Casum talem a Morgagni (1) relatim, ipsius Auctoris verbis hic referre non incongruum duxi.

*Casus morbi octavus.*

» Juvenis antiquam, ut videbatur, fistulam supra dextrum processum mastoideum habebat, in quam injecta redibant pro parte per aurem vicinam, qua tamen audiebat. Is in nosocomium receptus non propter fistulam, sed propter febrem, quae accesserat; hac inter pauco dies augescente, sic delirans, ut ad soporem inclinaret, mortuus est. Cranio recluso, vasa cerebri omnia sanguine turgida reperta

(1) Morgagni, &c. Ep. 14. p. 384 et 385. Art. 5.

sunt, multa autem aqua viridescens in ventriculis lateralibus; in qua pus ejusdem coloris subsidebat, in ventriculo dextro. Sed multo major ejus puris copia effusa erat inter meningem duram et eam faciem petrosi processus ossis temporum, quae in faciem respicit alterius lateris, sicque inter utramque, sibi viam fecerat in tubum usque vertebrarum. Plena erat quoque, ejusdem modi pure tympani cavea. Progressa autem caries pone aqueductum Fallopii et canales semicirculares, eam de qua dictum est, faciem petrosi processus eroserat ad modum rima non angustiae a posteriore latere ejus foraminis, quod ambas portiones excipit nervi auditorii. Quam rimam obtegens dura meninx ibi quidem exesa erat, sed ad longitudinem minorem, quam rima erat."

*Casus morbi nonus.*

Huc addenda historia morbi, quae a Cl. Lallemand (1) communicatur et a Baugraud (2) observata fuit; puer nimium decem annorum, per mensem tumorem ad processum mastoideum gestayerat, qui tumor in suppurationem abiit. Febris lenta, tussis, vox rauca,

(1) Lallemand, o. c. Lettre IV. p. 111.

(2) Zodiac. Med. Gall. a. 2. Obs. 16. Juill.

respiratio difficilis et debilitas observabantur: aper-to tumore, magna copia materiae foetidae effluxit; brevi post vocis extinctio atque surditas; post quatuor menses obiit. Pulmo ulceratus aperto cadavere reperiebatur atque repletus materie, illi simili, quae durante vita ex abcessu pro-fluxerat. Cerebri ventriculi pure repleti erant; apophyses mastoïdeae, coronoïdeae, styloïdeae carie fere destructae reperiebantur, ut et cavitates articulares primae vertebrae, apophysis odontoïdea secundae et inferior ossis occipitis pars.

Lallemand (1) narrat se in nosocomio quod St. Eloy vocatur, casum fere similem ob-servasse; ubi caries sese ad secundam vertebram usque extenderat, unde capitis in latus morbose affectum deviatio, paralysis incompleta artuum superiorum et colli tumefactio.

§ 16. Effluxus puris per tubam Eustachianam, quamvis ab Iard inter rariores effluendi modos habeatur, a Lallemand, Beck, aliisque fre-quenter observatus fuit. In affectione faucium inflammatoria saepe inflammatio oritur tubae Eustachianae; contra ex membranae tympani, cavitatem ac tubam Eustachianam obvestientis, inflammatione atque ex puris effluxu per huncce tubum anginae originem trahere possunt. Pus tale per os vel per nares foras prodire posse ex multis patet observationibus ab auctoribus relatjs.

(1) Lallemand, I, c. p. 221.

Lallemand nobis enarrat duos casus, quos  
breviter enarrare hic sufficiet.

*Casus morbi decimus (1).*

Ex insolatione ac secuto postea refrigerio vir  
42 annorum, dolorem fixum in latere dextro  
suturae sagittalis, sibi contraxerat. Die subse-  
quente febris urens, horripilations, nauseae  
auxietas et agrypnia observata sunt; dein cepha-  
lalgia gravis. Oculi scintillabant et rubebant.  
Quinto die phrenitide correptus fuit; omnibus  
auxiliis frustra adhibitis, nono die extinctus est.  
Sectio cadaveris ab auctore illius observationis  
Bailly instituta est, quia brevi ante mortem  
tempore, ex ore, naribus et ex aure dextra, pus  
foetidissimum effluxerat. Cranio aperto, tumor  
pure valde foetido viridescente repletus inveniebatur,  
magnitudinis nucis avellanae; dura  
mater et tunica arachnoidea in putrefactione  
versabantur. Subjecta substantia cerebralis alte-  
rata ac foedita erat.

*Casus morbi undecimus (2).*

Puella 18 vel 20 annorum, laborabat febre

(1) Lallemand, o. c. Lettre IV. p. 74.  
Boneti, Sepulchre. Lib. I. Sect. I. Obs. 54.  
(2) Lallemand, o. c. p. 155.

remitente putridae naturae; observabantur vomitus bilioso - verminosi, lingua obsessa, pulsus magnus et frequens, urinae turbidae, vehemens cephalalgia, effluxus puris ex nasi latere sinistro ac ex aure dextra. Effluxus ex aure diu ante praesentem morbum jam extiterat, nulla prorsus indicia ex aegrotante peti potuerunt ab auctore observationis Goutard, quum ex gravitate febris, aegra in nosocomium recepta, nullis fere quaestionibus respondere potuerit. Secto cadavere in latere dextro, sub haemisphaerium cerebri dextrum abcessus reperiebatur, cystide lutei coloris inclusus. Cerebri substantia circum cystidem sita, emollita ac dissoluta erat. Pars ossis temporum squammosa ac vicina superficies superior petrosae partis, carie affectae erant. Locus iste carie affectus perpendiculariter cum cavitate cellulosa processus mastoidei conveniebat, quae repleta erat pure, simili illi puri, quod ex aure et e naso profluxerat.

§ 17. Exempla etiam reperiuntur, ubi pus per tubam Eustachii in saucium cavitatem delatum, in tracheam fluxerat, ibique expectorationem puris sine antecedentibus respirationis organorum morbis efformaverat. Videamus casum a Lallemand memoratum (1).

---

(1) o. c. p. 168. Obs. 35.

*Causa morbi duodecimus.*

Vir 40 annorum, fortissimae imo athleticæ structurae, plagam vehementem in malam ac in brachium dextrum accepit, a quo brevi restitutus e nosocomio St. Ludovici dimissus fuit. Post novem menses cephalalgia cum delirio, loquacitate, agitatione, facie rubra virida corripitur; oculi rubent, lingua sicca et rugosa in medio, ad margines magis humida et rubra erat; cutis calida non sicca; pulsus durus non valde frequens. Abdomen durum, contractum, attactu non dolet. Responsa dabat interdum cohaerentia et quaestionibus convenientia. De dolore temporis dextrae, minima pressione ut et decubitu in latere sinistro aucto queritur. In craniis integumentis nullus adest dolor. Dein comatosus factus aeger, durus ac hebes auditus observabatur. Die morbi vigesimo primo vomitus oriebatur materiae albidae puriformis; sequenti die notantur calor ingens ac siccitas cutis, pulsus irregularis, respiratio sonora accelerata, expectoratio copiosa materiae albidae, plane similis illi, quam aeger die praecedenti evomuerat, halitus oris foetidus, vox suppressa, thorax percussus sonum edebat clarum. Post aliquot horas occubuit aeger, aperto thorace, nulla signa morbosam affectionem partium contentarum monstrabant. Caries reperta est in posteriore superficie partis petrosae ossis tem-

porum, ut et destructio partis ipsius ossis et meatus externi. In cerebello abcessus cystide inclusus repertus est.

*Casus decimus tertius.*

Inter observationes otorrhoeae a Cl. Itard (1) relatas, invenimus casum hoc referendum. Puel-la laborabat otorrhoea, pus in gulae cavitatem fluebat et durante nocte in tracheam sese effundebat, unde exasperfacta, molesta titillatio ac tussis sequebantur. Omnia, quae Cl. Itard adhibenda judicaverat, irrita fuere, agrypnia, febris, cephalalgia vehemens, exhaustio virium insequebantur. Perforatio tympani dein instituta, solarium quoddam aegrae praebuit. Surditas vero immedicabilis superstes mansit.

Doct. Vering, casum refert viri 60 annorum, qui affectione syphilitico-arthritica, atque inde natis capitis doloribus, laboraverat, deinde phthisi tracheali afficiebatur, unde defunctus est. Aperto cadavere, larynx perfecte sana reperiebatur, pars ossis temporum petrosa lateris sinistri fere des-structa. Quae observatio ex supradictis facile explicari potest, ab auctore ipso illa laryngis affectione spasmodicae indolis morbo adscribitur (2).

§ 18. In ventriculum pus per tubam Eusta-

(1) a. sapius c. Tom. I. pag. 189 Obs. 5.

(2) J. von Vering, Aphorismen über ohrenkrankheiten, Wien 1834 p. 23.

chianam perduci posse multa exempla monstrant. Lallemand narrat se duos observasse aegrotantes, qui dolore obtuso in aure interna lababant, tempestate humida semel frigida identidem auctus; sapor ingratus in faucium cavitatem, cum odore molestissimo percipiebatur, quae molesta morbi symptomata, aducto dolore, ingravescere solebant: ut et quibusdam capitum positionibus et deglutitionis motu. Ex hisce fastidium ciborum, qui amari et foetidi videbantur, nauseae atque vomitus materierum foetidarum ac purulentarum. Ista molesta symptomata ab aliis affectionibus gastricis, sed a Cl. Lallemand, otorrhoeae simul existenti ac profluvio puris per tubam Eustachianam, adscribabantur (1). Idem auctor etiam de duabus loquitur observationibus vomitus puris, quee vero jam memoratae sunt, (conff. casus morbi 11 et 12); undecimo nostro casu morbi, praesentia febris putridae symptomata a Cl. Lallemand, puris in ventriculum delapsi actioni tribuuntur.

Casum insuper memorabilem legimus ab ipso aegrotante Doct. Le Blanc cum publico communicatum, quem breviter hic in memoriam revocare licet.

(1) o. c. p. 89.

*Casus morbi decimus quartus (1).*

L. B. a gravi otorrhoea cerebrali, ex ictu capiti allato producta, sere sanatus, post duorum mensium intervallum, denuo dolore ac capitis gravedine corripiebatur, cum anxietatis sensu in toto corpore. Observabantur convulsiones faciei, symptomata coryzae, cum appetitus ac odoratus defectu. Omnia, quae degustabat aeger, puris gustu inquinata videbantur. Molestus gravedinis sensus in praecordiis sentiebatur, post potum infusionis calidae theae, cito magnam evomuit copiam materiae purulenta spissae ac valde foetidae. Inter vomendi conamina aeger sentiebat, materiem ex naribus in faucium cavitatem et inde in ventriculum delabi. Status aegrotantis post vomitum in meliorem mutatus est, atque brevi post perfecte sanatus fuit.

Cl. Abercrombie (2) etiam casum refert, in quo durante otorrhoea, quae morte terminabatur, vomitus frequentes observabantur, de statu vero viarum digestricium nil determinatum in historia morbi invenitur. Omnia enim notata morbi symptomata febrem nervosam indicant. Quam

(1) Journal de Med. Vol. XVII.

Itard, o. c. Tom. I pag. 272. ad 281.

Lallemand, l. c. p. 158 seqq.

(2) Pathologische und Praktische Untersuchungen, Bremen 1829 1er Th. p. 43.

vero in sectionis cadaveris descriptione, etiam nil de statu primarum viarum notatum sit, non satis liquet, num vomitus sympathice e cerebri affectione, an e puris praesentia in ventriculo ortus fuerit.

§ 19. Processum mastoideum in morbis auris cavitatis facilissime carie affici, forsan ex sponsa laxa ipsius fabrica explicandam; innumera exempla talis cariei leguntur a Morgagni, Itard, Lallemand, Abercrombie aliisque relata.

Inflammationes cutis, telae cellulosae et fasciae colli, processum mastoideum obtegentium, cito ex ista carie producuntur. Abcessus ex ista inflammatione puris depositione formati nisi cito aperiantur, pus in partes infra sitas delabitur, juxta muscle sterni - cleido - mastoideum, supra claviculam exteriora petit; ibique collectiones efformat, inflammationes ipsarum partium profundius sitarum, imo ossium generat, ipsamque cariem producit. In thoracis cavum pus profluere ac ibi sese accumulare potest, cuius rei memorabile exemplum ab Abercrombie observatum hic enarrabimus.

*Casus morbi decimus quintus (1).*

Puella quindecim annos nata, per sex vel sep-

---

(1) Abercrombie, opere maiorato, Tom. I. p. 47.

tem annos doloris accessibus in aure dextra jam laboraverat, quibus dein ex eadem aure effluvium accesserat. Per aliquot tempus malo libera, die 25<sup>o</sup> Aprilis anni 1825 iterum aegrotari incepit. De horripilatione ingrata et vesperi de cephalalgia et dolore in aure dextra quereus. Die 28<sup>o</sup> medicus Brown aegrotantem invenit, ingente auris dolore cruciatam, cephalalgia quadam affectam, pulsus celer, lingua obsessa erant. Effluvium ex aure die 29<sup>o</sup> locum habuit, sine doloris levamine, qui per totam sequentem diem eodem vigore perduraverat, dein imminutus est post sanguinis missiones generales ac topicas. Die 3<sup>o</sup> Maji abcessus efformatus est pone aurem, quo aperto nullum effluvium sequutum est; die 5<sup>o</sup> Maji autem pus effluxit valde foetidum et coloratum, os denudatum sentiebatur in extensione satis notabili, tentaculi ope. Die 6<sup>o</sup> cephalalgia exigua erat, pulsus celer, querebatur aegra de dolore in thoracis latere sinistro; diarrhoea satis frequens observabatur. Sequenti die tentaculum ad inferiora ac posteriora versus, ad columnam usque vertebralem facillime e vulnere perduci poterat, e quo pus foetidum copiose fluebat. Die 8<sup>o</sup> dolor pectoris auctus erat, sic ut parva venaesectio necessaria judicaretur, dolor imminuebatur, debilitatis causa depletio sanguinis vero non ultra perduci potuit. Die 9<sup>o</sup> aegra sese bene valere affirmabat, de nullis querebatur doloribus, pul-

sus valde celer tangebatur; jam vires imminueruntur et decimo Maji die, diem obiit supremum.

*Cadaveris sectio.*

Cerebrum plane immutatum reperiebatur, parva portione excepta, prope aurem dextram, quae profundo plumbeo colore tincta erat. Ille color autem superficiem solummodo inficiebat. Os temporum dextrum, externe in magna extensione denudatum erat, interne pluribus in locis scabrum et profundo colore tinctum, materia fluida ejusdem coloris intra os et duram meningem aderat. Dura meninx pro parte incrassata, fungosa et irregularis deprehendebatur. Crassities membranae sinus lateralis in magna extensione adacta erat, capacitas sinus ipsius imminuta specie coaguli, uti vulgo in aneurismatico sacco reperitur. Auris interna materiem fluidam profunde tinctam continebat. Pleurae cavitas sinistra libram materiae purulentae integrum continebat. Pulmo sinister collapsus, solidus, profunde coloratus ac crusta lymphae plasticae obtectus erat.

§ 20. Praeter jam memoratam processus mastoidei perforationem carie, alias etiam ossis partes perforatas inventas finisse, legimus apud quosdam auctores, per quas perforationes pri-

in collum delapsum fuit. Casum ab Holatio cum publico communicatum hic breviter videamus (1).

*Casus morbi decimus sextus.*

Infans, de quo loquitur auctor, in statu soporoso defunctus, opisthotono laboraverat. Fundus cavitatis tympani perforatus erat, ita ut cum foramine jugulari communicaret et meatus ut et cavitas tympani sese ad magnitudinem centeni (*Silberschilling*) aperirent, in parte descendente sulci sinus transversalis. Pars mastoidea ossis temporum exesa erat; illae partes perforatae cum jam memoratis aperturis communicabant. Hic etiam notanda observatio Cl. Martin (2), de viro 70 annos nato, cacochymico, per duos annos, auris dolore non notabili jam affecto. Post aliquot tempus materiae purulenta effluxus ex auro huic dolori sese adjunxit. Accedente autem postea febre mortuus est. Cadavere secto partem petrosam, tubam Eustachii uti et os sphenoideum pure repletum carieque exesam invenit.

Squammosam partem ossis temporum in mor-

(1) Frorieps Notizen, XI Band s. 138.

(2) Journ. de Med. par Roux, Tom. XXX. p. 456.  
Obs. 3.

bo auris, item affectam vidimus in casu morbi II<sup>o</sup>.

Hic etiam mentio facienda de perforatione, quae carie oriri potest in fossa glenoidea, i. e. maxillae articulari cavitate, et de puris transitu per foramen vel fissuram Glaeseri.

§ 21. De sequelis vero, quae suppresso effluvio ex auribus oriri solent, verbo hic tractandum videtur. Illud effluvium vel cessare, vel recedere potest atque nocivos effectus in toto organismo producere, uti et de aliis consuetis effluviis constat. Metastasi exinde oriri vidimus ophthalmias blennorrhoidicas, glandularum colli vel cutis, cerebri aut cerebelli inflammations.

Itard exemplum memorat orchitidis ex tali suppressione ortae (1). Caussae, quae tales suppressiones producere valent, e refrigerio, animi pathematisbus, indigestione vel injectionibus adstringentibus oriuntur. Item oritur ex accumulatione et mutatione ceruminis v. g. lardacea uti Itard (2), lapidea uti Morgagni (3) volunt. Beck (4) etiam notavit unum alterumve ossiculorum auditoriorum in apertura in membrana

(1) o. c. Tom. I. p. 206.

(2) Itard, o. c. Tom. I. p. 229.

(3) Morgagni, o. c. Ep. XIV. art. 21.

(4) Beck, o. c. p. 179.

tympani existente occlusum et quasi incarceratum,  
tali suppressioni ansam dedisse. Effluvii vero sup-  
pressions e polyposis excrescentiis in meatu sub-  
ortis, ex majoribus in organismo actionibus uti  
v. c. graviditate et pubertate, vel e stimulo mor-  
bosso fortiore in alia corporis parte suborto,  
rheumatismo, catarrho vesicali, fluore albo etc.  
originem habere possunt.

## CAPUT TERTIUM.

### EXPLICATIONEM SYMPTOMATUM ATQUE DIAGNO- SIN OTORRHORAE EXHIBENS.

§ 22. In praecedente capite otorrhoeae discriptionem, varios effluendi modos puris, atque inde secutas morbosas affectiones exhibuimus; additis historiis morborum, cuiusvis speciei exemplum proponentibus. In hocce vero capite, specialis symptomatum expositio ex illis desumpta, ut et diagnosis inter varios effluendi modos, eorumque sequelas pertractabitur.

Dolor saepissime primum sistit symptoma otorrhoeae, quamvis effluvium sine praegresso dolore oriri posse constet. In otorrhoea mucosa, a Beck *phlegmatorrhoea* vocata, vulgo effluvium sine ullo praecessente dolore incipit; in altera, puralenta nimirum specie, quae saepius post mucosam sequitur, a Cl. Beck,

Albers, aliisque *pyorrhœa* vocata, dolor fere semper effluvium praecedere solet. Dolor originem dicit ex nervorum irritatione inflammationem praegrediente vel ex inflammatione ipsa membranae mucosae, periostei vel ossis ipsius; dolor jam præsens denuo augeri solet compressione, quam nervi e tumore orto vel pure collecto patiuntur. Hicce otorrhœæ dolor, tam vehementis, imo intolerabilis atque gravitate sua symptomata nervosa horrenda excitans, facilime ex ipsa organi auditus structura explicatur; numerosissimi enim nervorum sensilissimorum rami, in partis petrosae osseis canaliculis inclusi, partim in membrana mucosa inflammatione affecta siti, cuius tumori parum spatii superest, comprimuntur; vicinia cerebri, ejusque arctus et propinquus cum organo auditus sensilissimo connexus, doloris ipsius vehementiam probe explanant. Doloris levamen post disruptionem membranae tympani saepius subitaneum sequi, & sublata pressione puris in cavitate tympani collecti, facile explicatur. Dolor in aure externa vel interna, vel in ambabus simul partibus sedem habet, vel in affecto capitis latere, vel in toto capite ambabus auribus morbo affectis. Ad gulæ cavitatem usque saepius sese extendit dolor, quod inflammationis in tubam Eustachianam extensioni adscribendum. Dolor non constans otorrhœæ symptoma habendum; quando membranæ tympani illaesâ, pus secretum in oris cavitatem effluit,

et nullus in auro adsit dolor, alii morbi puris collectione in diversis partibus, v. c. in ventriculo vel in trachea oriri et facile medicum in errorem ducere possunt.

§ 23. Alterum otorrhoeae symptoma in mutata audiendi facultate habemus. Acutior quam antea auditus esse potest vel imminutus, imo deletus. Auditus tali acutie praeditus observatur, ut doloris sensus ingratus minima soni perceptione producatur; oritur illa acuties e sensititate nervorum aucta, sitne nervi acustici ipsius, an nervorum, qui cum isto organon auditus intrant; in affectionibus cerebri otorrhoeam praecedentibus vel ex ea productis satis frequenter locum habet. Magis constans gravioris otorrhoeae symptoma, surditas majore vel minore gradu existens nobis offert; Morgagni et Itard (1) tamen exempla audiendi facultatis illaesae in otorrhoea memorant, quod pro laesioris loco dif- ferre videtur. Variae divisiones quoad surditatis gradum ab auctoribus propónuntur, quorum divisionum commemoratio non hujusce loci visa est (2). Surditas interdum fere primum otorrhoeae symptoma, saepius autem postea duente morbo oritur. E duobus diversis fontibus

(1) Morgagni, o. c. Ep. XIV, art. 5.

Itard, o. c. Tom. I. p. 258. Obs. 25.

Lallemand, o. c. Lettre IV. p. 112 et 144.

(2) Cf. G. F. Most, Encyclopädie der gesammten Med. und Chirurg. Praxis, Leips. 1833 ter Bd. p. 268.

originem trahere potest, nempe ex impedita transmissione sonorum ad nervos, vel ex immunita ipsorum perceptione. Prima species oritur ex coarctatione post inflammationem meatus auditorii externi aut tubae Eustachianae, vel ex collecta lymphae plasticae copia in cavo tympani, ex abcessibus, fungis, tumore membranae mucosae, carie unius alteriusve partis organi auditus, vel ossiculorum auditoriorum damno. Secunda surditatis causa, perceptio nempe immunita vel deleta, adscribenda cerebri affectione primitiva aut secundaria, sive extincione vel paralysi nervorum auditoriorum. Dignoscitur utraque species ex perceptione ictuum horologii inter dentes collocati; si enim paralysis sit surditatis causa, ictus nullomodo percipiuntur. Spes auditus facultatis semel restituendae maxima pro parte a causa, quam vitium productum sit, et parte affecta determinatur (1).

§ 24. Praeter imminutum vel acutiorem auditum in otorrhoea, hallucinationes auditus quaedam interdum observantur; hocce nomine tales perceptiones intelligimus, quae nullis causis sonum edentibus externis producuntur. Magis secundum gradum, quam secundum caus-

(1) De ipsis surditatis diversis causis imprimis legi meretur J. van der Hoeven, Diss. Pathol. de morbis aurium auditusque, L. B. 1824.

sam, qua producantur, differunt; omnes illae perceptiones, tinnitus, sonitus aurium, sibilus, bombus, susurrus ad duas species vulgo referuntur ad tinnitus atque susurrum ipsum. *Cartheuserus* (1) tinnitus adscribit dilatationi vasorum canaliculorum, cochleae, nervorum ac nervosae expansionis, cui opinioni *Caesalpinus*, Hoffman atque *Cotunnius* (2) favent. Saepe autem tinnitus a sensibilitate perversa sine ulla caussa physica pendet, quae species ab Averroes (3) phantasticus tinnitus vocata, a speciali affectione cerebri originem trahit (4). Itard susurrum tribuit introitiui aëris in aure interna vel externa; *Cartheuserus* (5) aëri vel vapore cuidam inclusu, clausa tuba Eustachii una alterave de caussa, atque motui iude pendentii membranae fenestram rotundam occludentis aut stapedis. Huiuscaus-

(1) *Cartheuserus*, diss. de Susurratione et tinnitus aurium, in diss. Select. Francof. ad Viad. 1775. p. 215.  
*Caesalpinus*, speculum artis medicae Hipp. Francof. 1605 p. 407.

Hoffman, de auditus vitiis ex atonia, 3 Vol. p. 241 et Responses med. c. 36.

(2) *Cotunni*, de aquaeduct auris humanae in anat. diss. Vien. 1774 p. 174.

(3) *Mercurialis* de aurum atque oculorum affect. praelect. Francof. 1591 p. 160.

(4) *Douverney*, Traité de l'organe de l'ouie, Leyden 1731 p. 168.

(5) *Cartheuserus*, h. c. p. 206.

sae accedunt sonus, a pulsatione arteriarum in membrana mucosa ipsa vel in partibus vicinis satarum; ut et sonus ille, qui ex motu articularis capituli mandibulae in cavitate glenoidea oritur. Veteres aëri in auris cavitate, uti fingeabant, innoto, susurrum adscribebant (1). Auditus duplicatus, dimidiatus, sonus imaginatione mentiti et quae hallucinationes amplius observatae sint, atque in aurium morbis locum habere valeant, hic pertractare, non ad nostrum propositum pertinet.

§ 25. Symptoma autem, quod nostro morbo nomen dedit, effluvium ex aere maximum signum est diagnosticum; solummodo abesse potest, quando pus, occlusa tuba Eustachiana una alterave de causa, et simul non disrupta tympani membrana, tympani cavitate inclusum retinetur. De viis, per quas effluvium extorsum prodire potest, jam in secundo capite locuti, hic infra redituri surous. De producto ipso effluente hic agendum est; otorrhoea ipsa, uti supra jam diximus, phlegmatorrhoea vel pyorrhoea secundum effluxum muci, vel puris vocatur; secretione quadam membranae mucosae producuntur pus seque ac mucus, pus autem, partium molium vulgo vel et ossearum ulceratione formatur: glan-

---

(1) *Trinacelli*, de ratione curandi particulares humani corporis affectus; paelect. Venet. 1575. p. 110.  
*Duncanus Liddelius*, Lugd. 1624 p. 168.

dulis cerumen secerentibus morbose affectis,  
magna etiam copia ceruminis tenuis otorrhoeae  
speciem quandam producere potest.

Levissima otorrhoea e catarrhali caussa nata,  
muci profluvium ex aere esse solet, sed nisi cito  
medeatur in alteram transit speciem. Pus effluens  
valde diversum esse constat, color enim ipsius,  
albus, flavus, viridescens ad nigredinem usque  
differre potest. Profundius tinctum esse solet  
pus a carie productum et illud, quod laesionibus  
cerebri vel primitivis, vel secundariis cum otor-  
rhoea simul existentibus formatum. Easdem  
varietates coloris autem Cl. Andral in pure  
cerebri substantiae ulceratione producto se ob-  
servasse notavit (1). Consistentia puris differt  
a seri, ad cretoris spissitudinem usque. Odore  
vel nullo, vel foetido ingratissimo praeditum  
observamus effluvium, vel carioso peculiariter quo-  
dam, vel speciali a ceruminis degeneratione orto.  
Sapor effluvii per tubam Eustachianam in os  
stuentis ac ita degustati, subdulcis interdum, in  
phlegmatorrhoea, foetidus ac nauseosus in py-  
orrhoea observatur. Acritas quedam puri a  
quibusdam auctoribus tributa, praecipue si carie  
producatur, qua argentea instrumenta colore  
quodam nigricante inficiuntur, a Cl. Otto (2)

(1) Cf. Andral, *Précis d'Anatomie pathologique*, Paris  
1829 Tome II. p. 837.

Cf. Gendrin, *Hist. Anat. des Inflammations* Tom. II.  
p. 488.

(2) *Lehrbuch der Pathol. Anat.* Berlin 1<sup>re</sup> th. 1830 p. 143.

salibus phosphatibus adscripta est. Antiquitus caries post otorrhoeam simplicem, ejusque progressus in alias partes, soli puris acritati attributa fuit, quae vero opinio prorsus non admittenda videtur; Lallemand (1) contrarium statuit; Cl. Promotor vero talis cariei formationis explicationem, ex inflammationis effectu, ipsius indagationibus demonstrata: propositum est patet . . . vasa minima quaedam collabescere, sanguine orbari, verosimiliter concrescere, quum secundum observationem materiam subtiliorem injectam non amplius admittant, si multae autem horum vasorum fines emoriantur, ut vita sufflaminata vel diminuta vel puris non amplius resistant, solvuntur et deliquescent" (2).

§ 26. Uti in secundo capite jam monuimus et exemplis allatis illustrare conati sumus, varis viis pas ex auris organo, in quo formatum fuerit, in alia transit loca: vel quamvis ipso non puris effuet, auris morbus metastasi vel sympathice morbum eis in loco excitat. Primo loco videamus de otorrhoea cerebrali, de qua iam (§ 12) locuti sumus; *primitivam cerebralem otorrhoeam* cum Cl. Itard vocamus, talem,

(1) Lallemand, o. c. p. 110, 119 et 136 seqq.

(2) J. J. A. Luchtmans, diss. Phys.-Pathol. de absorptionis sanae atque morbosae discriminé, Traj. ad Rhen. 1819 p. 76.

in qua cerebri morbo praegresso accedit effluvium puris ex aure, in cerebri ipsius vel in auris cavitate formati. Sunt interim auctores, qui hanc otorrhoeae cerebralis speciem prorsus denegent, inter quos Morgagni (1), Lallemand (2) et Boyer nominandi, quamvis vero illorum ex argumentis pateat, minus frequenter hanc speciem otorrhoeae cerebralis quam consecutivam observari, non ideo illis concedendum illam nunquam locum habere. Cum virorum Cl. Monro, Baillie (4), Beck (5), Andral (6), Otto (7) opinione, tum casu sequente a Promot. Cl. Schroeder van der Kolk mecum benevole cōmunicato, quaestionēm, discrepantiā opinionum iudicatu difficultem, absolutam credo.

Vir 41 annorum, proceræ staturaæ, faber murarius, ante 8 fere annos lapeu muri cadeatis præcipitatus gravem plagam ad maxillæ inferioris dextrum angulum recepit, eo effectu, ut insignes, sugillationes, tumorque faciei orirentur,

(1) Morgagni, o. c. Ep. XIV. art. 2.

(2) Lallemand, l. c p. 133 seqq.

(3) Boyer, Traité des malad. Chir. etc., Brux. 1823 Tom. III. p. 281.

(4) Baillie, Anat. des Krankh. Baues, aus dem Englischen von Sömmerring, Berl. 1820 p. 251.

(5) Beck, o. c. p. 152.

(6) Andral, précis d'Anat. Path. Tom. II. p. 838.

(7) Otto, o. c. p. 425. Quo loco etiam permulti citantur auctores, qui hac de materia egerunt.

quae postea evanuere. Ex hoc tempore sanus tamen de tempore in tempus querebatur de migraena tempus dextrum occupante. Ante 3 fere annos hic dolor sine causa cognita, saepius redire atque fortius et continuo magis illum corripere coepit, ut tandem pedetentim et continuo magis exasperans, per frontem et verticem sese extendens, illo gradu saevire incepit, ut immaniter excruciat aeger, atque tandem misero ad desperationem fere perducto, noctu dieque nulla quies, nullumque superesset levamen. Tandem gravitate mali, contra quod auxilia, quae a variis Medicis petiit, sine fructu administrabantur, cerebrum affectum est, de tempore enim in tempus dolore gravius illum vexante, os ad latus dextrum retrahi coepit, quibus singularis accedebat affectio subparalytica palpebrae dextrae, ut vix elevari posset, oculumque semper semiapertum teneret; cum his delirii, ipsiusque maniae symptoma prodibant, quando dolor minus percipi videbatur; durante hoc tempore auditus in auro dextra gravior est factus, quae affectio primo per intervalla accedens, tandem in surditatem auris dextrae cum sensu tinnitus et susurrus abiit.

Sub hac rerum conditione, tandem 12 Jan. hujus anni in nosocomium mentis aegrotantium, quod hac in urbe sub Cl. Promotoris auspiciis amplificatum exstat, deportabatur; de cura antea tentata nihil audivimus, nisi quod setaceum auchae sed sine fructu fuisse applicatum.

Jam sequentia apparuere; totus corporis habitus debilis atque emaciatus, facies tamen rubescens, os insigniter dextrorum retractum paralysin in latere sinistro faciei praesentein monstrabat. Oculi dextri semiperti conjunctiva erat ruberrima, oedematoso sine ullo tamen dolore, ejusque palpebram elevare, oculumque plenius aperire non poterat, oculus ipse licet mobilis, tamen paulatim dextrorum vergebatur, ut strabismus licet exiguo gradu externus adesset, visus tamen in utroque oculo integer. Si alloquebatur aeger, vulgo aurem sinistram advertere solebat, ob surditatem in aure dextra praesentem; coeterum motus corporis facilis sine ulla laesione, mentis tamen facultates insigniter laesae et alienatae, ut vulgo inconcinna loqueretur, atque dementiae manifesta signa ipsum cerebrum correptum maniamque ideopathicam indicarent, casumque desperatum atque incurabilem testarentur; alvus erat normalis, appetitus bonus, non autem ut saepe maniacis esse solet, magnus; deglutitio difficultis.

Post aliquot dies, paulo melior reddi videbatur, ita ut ad pristinos labores redire cuperet; de dolore non querebatur. Sine ulla tamen causa manifesta, dolor capitis iterum rediit, agiliorque fiebat, de dolore capitis saepius querens et in primis noctu capite declinante continuo clamores emittebat, quando 11° Febr. accessu apoplectico corripiebatur eo effectu, ut, postquam ad sese

rediisset; loqua diffilis atque deglutitio moles-  
tior evaserit; jam cursus vacillans, titubans, oculi  
dextri conjunctiva sero rubro suffusa circa cor-  
neam annuli instar tumebat, imo ad canthum  
internum inter pellebras semiapertas pullulabat;  
paulatim ab hoc accessu restitutus, 21° Febr. se-  
quens sed vehementior accessus rediit, ita ut post  
convulsiones plures, debitiss auxiliis ad se rediens  
totum corpus esset rigidum tetani ad instar,  
quam rigiditatem postea motus excepit artuum  
difficilior. 2° Martii summe debilitatus, ad se  
redire magisque mentis compos reddi videbatur,  
imo mortem instantem praedicebat, varisque  
adhuc perfici cupiit, quando nocte inseguente  
placide animum efflabat. Ultimis diebus etiam  
conjunctiva oculi sinistri rubescere incepit, post  
mortem oculus dexter paralyticus erat apertus,  
sinister clausus. Medicamenta pauca tantum illi  
durante hoc tempore administrabantur, fonticulus  
tamen et subinde hirudines loco dolenti siae  
ullo emolumento applicabantur.

Sectio tantum cranii institui potuit, ulteriore  
perscrutatione affinibus negata. Cranio dissecto,  
dura membra in primis in dextra latere et vertice,  
tenaciter crano adhaerebat, ibique vasculis plu-  
ribus rubescerat. Qua membrana detracta, Arach-  
nitis per dextrum in primis haemisphaerium sa-  
tis manifesta apperuit, cerebro elevato in-  
signis inflammatio prodibat ad lobum dextrum

inferiorem, tantaque cum dura meninge concretio, ut lobus inferior dexter vix ac ne vix posset removeri; tota enim haec pars a fossa Sylvii inde ad cerebelli marginem insigniter emollita et pure intermixta, quod in primis ad inferiorem lobi partem in cavum collectum erat, corrupta, ut finis lobi fere deliquesceret: margines hujus ulceris limbo fere nigrescente sanguineo & postica sanaque medullae parte erat circumscripta. Simil effusio seri subpurulenti sub arachnoidea, per totam cerebri basim, in primis ad crura cerebri, pontem Varolii et medullam oblongatam sese extendebat. Ventriculus quartus sanus uti et cerebellum, ventricoli laterales sero paulo copiosiore impletii. Dura meninx ante os petrosum insigniter erat degenerata, fere cartilaginea, 2 circiter linearum et ultra crassa; num ipsum os vel et maxillae condylus essent affecta, indagatione accurrationi denegata, determinari certo non potuit. Inflammatio vero durae meningis ad latus sellae turcicae extendebatur, quam ibi detracta, nervus 3*i* parisi per pollicis dimidii longitudinem insigniter inflammatu atque per intimam substantiam ruber apparuit; nervus vero 6*i* parisi uti et 4*i*, 5*i* et ipse opticus erant sani; dura meninx supra os petrosum sana, paulo magis rubescens non crassior; aperto tympani cavo apparuit totum hoc cavum lympha coagulabili impletum esse, ossicula auditoria praeerubra, ipsaque vascula sanguifera in vestibulo et canalibus plus solito conspicua, nervi

coeterum sani, non inflammati. Auris sinistra sana ejusque tympanum seruum sere impletum, nervus etiam facialis ad ortum in utraque auro integer.

Huicce casui memorabili sequentem explicacionem adjunxit Cl. Promotor, si attendamus ad locum maxime affectum, scilicet inflammationem durae meningis supra cavitatem glenoideam, sane probabile videtur plagam gravem ad angulum dextrum maxillae inferioris acceptam, hic loci in os temporum inflammationem chronicam provocasse, quae lente et clandestine proserpens, uti in affectionibus cranii non raro accidit, ipsam tandem duram meningem et deinde lobum cerebri inferiorem illi impositum corripuit, arachnitis inde orta, uti facile accidit, per haemisphaerium et verticem sese dispergens, maniae symptomata affectione et irritatione cerebri protulit, griseam enim materiam etiam in vertice jam affectam fuisse, monstrabat difficultis, non sine dilaceratione ipsius materiae griseae, detractio piae meningis; inflammationem autem tympani atque otitidem internam, hic non causam, sed effectum fuisse inflammationis cerebralis et durae meningis, manifeste patet e surditate et tinnitu, postquam dolores jam diu saevierant, demum ortis, uti et ex inflammationis gradu in cavo tympani minori, quae nondum ad suppurationem pervenerat; unde etiam externus effluxus durante vita nondum prodierat. Memorabilis porro est paralysis palpebrae superioris, ex inflammatione nervi 3<sup>i</sup> parisi facile explicanda;

mirum autem oculi motum non impeditum fuisse, licet ibi loci nervus aequaliter inflammatus videbatur; tamen actionem paulatim debilitatem fuisse, apparet e strabismo externo, musculus enim rectus externus, qui nervum 6<sup>i</sup> parvum hic illaeum accepit, majori vi oculum dextrorum trahebat; in primis autem memorabilis est paralysis faciei partis oppositae, quae nulla alia ratione explicari posse videtur, nisi quod inflammatione lobi dextri, nervi facialis sinistri radices ultimae affectae fuerint, quo demonstrari videtur nervum faciale uti spinales cum cerebro decussationem formare (1). Videmus ergo hic casum oppositum illi, supra pag. 24 seqq. memoratum, ubi paralysis aderat in eodem latere, quia ipse nervi truncus erat corrosus, hic inflammatione cerebri profundius penetrante nervus oppositus paralyticus est redditus, licet ipse truncus ad ortum esset sanius, neque latus cerebri sinistrum laesum videretur; deglutitio difficilis, quod symptoma saepius occurrit in inflammationibus ad basin cerebri, videtur explicanda ex Arachnitide et piae meningis inflammatione, ad medullam oblongatam nervorumque hypoglossi et glossopharyngei actione quodammodo inde impedita.

Omnis caussae certe huicce morbi speciei

---

(1) Videatur hac de re Müll. Phys. 1. B. 2. Abth. p. 84r.  
ubi patet post cerebri laesiones saepius paralysin nervi facialis oppositi, rarius in eodem latere observari, quod certe pro diverso cerebri affecti loco differre debet.

ansam praebere solent, quae cerebri vel partium cerebrum circumagentium inflammationes producere valent. Symptomata otorrhoeae cerebralis primitiae sunt sequentia, cephalalgia continua, primo obtusa, dein magis pungens, lancinans et atrox, interdum modica et non nisi gravidinis sensus. Pulsus tangitur durus et frequens, dein rarus et lentior quam in statu sanitatis. Rubor oculorum, sensus tractationis in imis orbitis, convulsiones vel paralysis muscularum faciei, tensio vel tumor oedematosus cutis capillatae, constrictionis sensus in cranii superficie, quasi non amplius cerebrum continere posset. Intellectus facultates et praecipue memoria vulgo turbantur, sopor aut agrypnia, virium collapsus non raro accidunt; si gravitas morbi aegrum non e medio tollat, tum dolor unius auris vel aurium oritur, surditas, susurrus, quae symptomata citius vel tardius in sequente otorrhoea, in genere imminuuntur. Non semper hisce gravissimis symptomatibus stipata est, saepe lente collectio puris in cerebro oritur ex chronica inflammatione cerebri, cerebelli vel durae meninges: vel etiam purulenta emollitione tumorum cysticorum vel tuberculorum cerebri. Dignoscitur talis lentior procedens puris formatio, cephalalgia vel periodica insultibus durantibus gravissima, vel continua plus minusve intensa per longum tempus perdurante; frequenter convulsiones, accessus epileptici, languor virium phy-

sicarum ac moralium accedunt. Abcessus cerebri per longum tempus cum milissimis symptomatis exstisset a multis auctoribus notatur; inter quos Voigt in primis nominandus (1).

§ 27. Altera otorrhoeae species, cerebralis consecutiva, quae frequentior profecto quam antea descripta observatur, iisdem fere symptomatis dignoscitur, cerebralia symptomata serius accedunt, post otorrhoeam per majus vel minus temporis spatium jam praecedentem. Varia symptomata, quae in illa morbi complicatione observantur, a cariei extensione et inde laesis partibus v. c. nervis, pendent, de quibus breviter videamus. Quando superficies superior ossis petrosi carie affecta sit, cerebrum illiusque lobus inferior affici solent; in otorrhoea cerebrali primitiva contra, affecto cerebro, illa ossis petrosi pars afficitur; posteriore ossis petrosi superficie affecta, cerebellum laeditur; hoc primitive affecto in eadem superficie cariem oriri vel pus per foramen acousticum internum profluere jam visum est. In observatione nostra secunda quamvis superficies superior perforata esset, nullam cerebri lobi vicini affectionem exstisset constat. Idem ille casus nobis exemplum exhibet otorrhoeae cerebralis consecutivae in uno latere, primitivae in altero; simul autem videmus nullam communicationem inter laesionem sinistram auris, ac cerebelli affectionis ejusdem lateris,

(1) Handbuch der Path. Anat. mit Zuzätsen von P. Meckel, Halle 1804 i Bd. p. 598 seqq.

exitisse. Pauca morbi cerebelli symptomata observabantur, nisi capitis dolor praecipue ad occiput, sopor, dein agitatus decubitus aegri, sessio peculiaris in lectulo ac tandem automatici motus. Tumorem genae in ista observatione, uti in sequente invenimus; in tertia autem observatione dein insequebatur genae sinistram paralysis cum oris divergentia in dextrum latus; in observatione, quae pag. 57 seqq. commemorata est, ex suppuratione lobii inferioris dextri, paralysin genae sinistram productam vidimus; porro vidimus coma ortum fuisse vigil, postea in soporem abiens, tandem flexorum muscularum tensionem, uti emollitionis cerebri symptoma. Induratio nervi facialis quasi cartilaginea faciei paralysim explicat; in casu quinto febrem cum delirio, et post quatuor dies otorrhoeam subortam esse, invenimus. Quaeritur, num ad primitivam, an ad secundariam speciem otorrhoeae cerebralis, referendus sit casus. Maniam ut cerebralem affectionem post otorrhoeam invenimus in sexto casu morbi inter morbos sympathice, (sine indirecta communicatione) productos cellocari debere, ut et casum, de quo Abercrombie loquitur, ubi in uno latere auris, in altero encephali morbus aderat. In eodem sexto casu otorrhoea caussa fuit maniae ex Arachnitide ortae, quae otorrhoea hic non uti in aliis casibus profundiorum cerebri inflammationem, sed superficialem protulit piae meningis.

In casu septimo post suppressionem antiquae otorrhoeae, abcessu pone aurem existente sanato, e quo pus in aure formatum profluxerat, cephalalgia, somnolentia et vomitus observabantur, dein hisce sopitis symptomatis oppresio remanebat, sequebantur stupor et loquaçitas, nullae vero convulsiones nec paralyseos signa. Post mortem emollitio cerebri reperiebatur centralis.

§ 28. Pus in craniī cavitate praesens, medullam oblongatam comprimere posse, carie occipitis, vertebrarumque saepe simul praesente, illamque compressionem deglutitionem difficultem produxisse, legimus in casu quarto et decimo sexto, Holstius ibi notat, cariem sese extendisse ad foramen jugulare, acusticum atque cavitatem tympani; opisthotonus et trismus ibi praeter dysphagiā observabantur, adscribenda ista symptomata videntur affectioni septimi, noni et duodecimi nervorum paribus, vel et ipsi medullae oblongatae irritatae vel compressae. De vocis extinctione post cariem ad vertebralem tubum sese extendentem ac aliis viarum aërifrarum laesionibus in casu morbi nono notavimus quaedam. Capitis deviationem in latus affectum, colli tumefactionem ac paralysin incompletam artuum superiorum, ex compressione medullae spinalis et nervi recurrentis Willisii secuta fuisse vidimus in ista historia morbi, de qua Lallemand loquitur. (vid. pag. 36).

§ 29. Antequam vero transeamus ad oto-

rhoeae effluxum per alias vias in alias partes, videamus de symptomatibus oriundis secundum diversas ossis petrosi partes, per quas carie apertas vel naturalia per orificia, effluxerit pus. Illa, quae canalem semicircularem superiorem obtagit pars, ossis petrosi lamina tenuissima, saepissime carie afficitur; locum apertissimum et frequentissimum communicationis exhibet inter morbos auris ac cerebri; frequentissimi itidem cerebri lobi inferioris ibi siti sunt morbi. Contractiones spasmodicae faciei, prosopalgiae similes dolores secundum Lallemand (1), denotant aperturam et canalem Fallopii, quae chordae tympani vel nervo vidiano transitum praebent, carie affecta esse: paralysis vero faciei muscularum affectionem monstrat nervi septimi parisi, uti supra jam videbamus, ita ut truncum nervi affectum esse indicet paralysis faciei in latere affecto, radicis profundioris lesionem paralysis in latere opposito. Juxta aqueductus cochleae directionem, caries progrediens, in posteriore ossis petrosi faciem sese extendit, sub tentorio durae matris ac cum cerebelli morbis communicat (2), e quo loco sese extendit

(1) Cf. o. c. p. 220. N<sup>o</sup>. 27.

(2) De hisce cerebelli lesionibus in otorrhoea cf.

Morgagni, o. c. Ep. XIV. N<sup>o</sup>. 3 et 5.

Lallemand, o. c. Ep. IV. p. 94, 104 et 112.

Abercrombie, Med. and surg. Journ. July 1818

Obs. 8<sup>a</sup>.

ad partes osseas, in Obs. 9a ad articulares cavitates primae vertebrae, ut et ad processum odontoideum secundae et inferiorem occipitis partem; in 16a ad foramen jugulare et ad os sphaenoideum. Puris transitus in cerebri cavitatem per meatum auditorium internum, exemplum reperimus in observatione quinta.

§ 30. Pus in cavitate tympani formatum, per tubam Eustachianam saepe tam clandestine effluit, ut aliquando nulla suspicio nascatur, auris morbum adesse, morbi contra secundarii ex effluxu puris orti saepe attentionem medici movent, ut inde falsam instituat diagnosin. Ut jam in priore capite vidimus, primo pus in oris cavitate advenit, ibique per os vel per nares expuitur, uti in casu morbi decimo vidimus, tamen pus in eo casu simul ex aure dextra ante mortem effluiebat, ita ut membranam tympani apertam fuisse pateat; forsitan etiam inter otorrhoeas cerebrales primitivas morbus hic referri posse videtur, quamvis ex ipsis symptomatibus minus accurate notatis difficile sit judicium ferre. Sequens casus morbi, effluxum puris ex aure dextra, et ex nasi latere sinistro exhibet, in otorrhoea cerebrali secundaria. Pus per tubam Eustachianam in gulae cavitatem effluere sapore peculiari effuvii in ore, halitu oris minus magisve foetido, pure effluente ipso cum morbi cerebri vel auris signis praegressis indicatur. Si non ex ore effluat illud pus, delabitur in tracheam, vel per pharyngem in ventriculum, quibus

in locis inflammationi unius aliusve partis ansam dare potest: in tracheam pus dilapsum, uti ex casu decimo tertio videmus, molestam producebat ibi titillationem ac tussin, in casu vero duodecimo legitimus copiosam expectorationem puris locum habuisse. In hoc vero casu, nullum pus per meatum auditorium externum effluxerat, cadavere aperto nulla pulmonum laesio inventa fuit. In casu nono pulmo ulceratus erat et repletus materie illi simili, quae durante vita ex abcessu ad processum mastoideum sito, profluxerat. Ibi tussis, vocis raucedo, difficultas spirandi, dein vocis extinctio observatae sunt. Quando ita talia affectionis viarum aëriferarum signa adsunt cum morbo auditus organi, semper attendendum erit medico, num nexus inter ambos morbos existere possit, indeque petenda diagnosis, eaque superstruenda medicatio erit. Ab altera parte expectoratio imo vomitus materiae nigrescentis foetidissimae, in gangraena pulmonum posset facile confundi cum tali casu, in quo pus e tuba Eustachii effluxerit (1).

§ 31. Effluvium puris in ventriculum saepe non facile dignoscitur, uti jam in § 18 notavimus; signa diagnostica hic vero habenda videntur, consuetus dolor obtusus auris, tempestate humida gravior factus; sapor et halitus oris quamvis in

---

(1) Observ. Anat. Path. auct. J. L. C. Schroeder van der Kolk, Fasc. 1<sup>st</sup> Amst. 1826 p. 203 seqq.

qualibet affectione gastrica praesentes ingraves-  
cere solebant, aucto auris dolore, motu deglu-  
titionis ac quibusdam capitis positionibus; pu-  
rulenta materia vomitu rejecta. Hic etiam addi-  
meretur, ille sensus, quem a doct. Le Blanc  
in se ipso observatum legimus, in casu morbi  
decimo quarto, durantibus vomendi conamini bus  
nimirum, quasi materiae e naribus per fauces in  
ventriculum dilabentis. Omnis vero vomitus in  
otorrhoea cerebrali praesens, non huicce causae  
adscribendus videtur, sympathice enim ven-  
triculum affectum esse posse, nemo profecto  
inficias ibit.

§ 32. Nulla vero frequentior memoratur se-  
quela otorrhoeae, quam caries processus mastoï-  
dei et inde producti abcessus. Quando natu-  
rae viribus sese aperit, pus effluit, cariosa saepe  
ossis pars extruditur et sanatio sequitur. Si  
contra serius sese extus aperiat, vel arte nimis  
sero aperiatur, in tela cellulosa effunditur pus,  
in partes infra sitas juxta musculum sterno-  
cleido-mastoïdeum dilabitur, abcessus format,  
imo in ipsam thoracis cavitatem pervenire, ibi-  
que empyema formare potest, uti memorabilis  
casus decimus quintus edocet. Primo otorrhoea  
per meatum auditorium externum dextri lateris  
profluxerat, effluxus imminutus est, abcessus ad  
processum mastoïdeum oboritur, quo aperto, caries  
detegitur ad vertebrarum columnam usque sese  
extendens, dolor autem in latere pectoris sinistro,

solum symptoma fuit, quod empyematis praesentiam denotasse videtur.

§ 33. Varii morbi simul cum otorrhoea adesse possunt, ab ea pendentes vel prorsus alieni. Febris, quae saepe cum otorrhoea simplici vel cerebrali observatur, illam saepius antecedit; illa vero otorrhoeae species, quae febrium nervosarum, nervoso-putridarum, putridarum, typhoidearum etc. ultimum stadium comitatur, critica vocatur. Talis febris saepe cum vera encephalitide in consortio, otorrhoeam cerebralem primitivam monstrat. In tali febre alia otorrhoeae cerebralis species, consecutiva minima, tanquam caussa consideranda videtur, i. e. in iis otorrhoea praecessit, morbum cerebralem excitavit, unde febris illa originem traxit. In simplici otorrhoea autem, simplex febris comitans inflammatoria, observatur. Gastricae complicationes (uti § 31 vidimus), cum otorrhoea haud infrequenter simul existunt, vel ex puris dilapsu in ventriculum ortum petunt. Surditas, quae post usum sulfatis quininae in febribus intermittentibus saepius sequitur, magis nervosae indolis et igitur minus hujuscce loci esse videtur.

Saepe cum hypochondria vel hysteria simul otorrhoeam adesse, notavit Cl. Albers, quae vero plerumque ad phlegmatorrhoeae speciem pertinet (<sup>1</sup>); uti et in aucta secretione muci in

---

(<sup>1</sup>) Albers, Lehrbuch der Semiotik, Leipzig 1834  
p. 370.

tubo intestinali, leucorrhœa atque catharro vesicali. Idem auctor de ulceribus in meatu auditorio externo praesentibus, membranam tympani interdum perforantibus, ut signum tubercularum pulmonalium praesentiam indicans, mentionem injicit.

TANTUM.

## THESES.

---

I.

**E**xplicatio sternutationis post narium irritationem, per nervum quinti parisi, sympathicum et phrenicum, falsa.

II.

**M**edulla spinalis praecipuum organon est sympathiae.

III.

**N**ervi spinales motui vel sensui inserviunt, secundum locum e quo originem trahant.

IV.

**R**ecte Cl. A. A. Sebastian membranam internam utero tribuendam esse, contra multorum opinionem defendit.

V.

**N**aturae typum in monstribus admodum conspicuum esse, statuo.

VI.

**S**urditatem post exanthemata febrilia sequentem, plerumque ex occlusione tubae Eustachiae originem trahere, affirmo.

VII.

**I**n catarrhali surditate, adhibitio tartari emeticici refracta dosi maxime commendanda.

## VIII.

*Injectiones per nares in tubam Eustachianam, ob magnam utilitatem magis, quam huc usque factum fuit, adhibendas esse, statuo.*

## IX.

*Nihil fallacius in medicina, quam ex sola urinae inspectione judicium de morbo.*

## X.

*Rubor vel color coeruleus membranae mucosae ventriculi minime gastritidem adfuisse, demonstrat.*

## XI.

*In situ variolarum vaccinarum inter saluberrima pertinet prophylactica.*

## XII.

*In crusta, sic dicta inflammatoria, semper attendendum, num pleno rivo effluxerit sanguis, nec ne.*

## XIII.

*Choleram Asiaticam cum febris intermittentis malignae accessu, magnam similitudinem habere, contendo.*

## XIV.

*In gravi vulnera affectis, febris hectica non semper membra affecti vetat amputationem.*

## XV.

*Consilium a Cl. Monro datum, saccum herniosum non secundum in operatione herniae incarceratae, sed cum intestino et cum omenti parte (si forte exierit) in abdominis cavum reducendum esse, improbandum mihi videtur.*

## XVI.

Arteriarum torsionem, quamvis non rejiciendam, plerisque numeris ligaturae postponendam esse, statuo.

## XVII.

Ligaturam arteriarum partes vicinas comprehendentem saepe necessitatis gratia admittendam esse, certum habeo.

## XVIII.

Trepanationis indicatio toties adest, quoties e materia effusa vel ossea parte intrusa cerebrum sufficiente, majores noxae producantur, quam ex operatione expectandae sunt.

## XIX.

Deligatione apta, vulnerum et ulcerum sanguinem maxime promoveri, defendo.

## XX.


Recte Bichat, « L'art d'éviter les opérations chirurgicales, doit précéder celui de bien les faire, et dans le doute de leur indication, ne pas agir est la saine pratique. »


## XXI.

Lineam albam, locum maxime congruum, sectioni caesareae praebere, Clar. Baudeloque assentior.

## XXII.

Praecipuam, qua foetus expellitur, caussam in ipso utero querendam esse, statuo.





Digitized by Google